Digitized by Google

252
8 C
30

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

SARDINIA INSULA

CONTENTIONI INTER PONTIFICES ROMANOS ATQUE IMPERATORES MATERIAM PRAEBENTE, CORSICANAE QUOQUE HISTORIAE RATIONE ADHIBITA.

SCRIPSIT

ALFREDUS DOVE

PHIL. DR.

BEROLINI

APUD E. S. MITTLERUM ET FILIUM.

MDCCCLXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Versanti mihi in cognoscenda regis Entii historia, quam Philippus Jaffé praeceptor maxime venerandus ad disputandum mihi proposuerat, hoc inprimis notabile videbatur, quod nulla re maius ille momentum attulerit historiae universali, quam inani isto, quod induerat, nomine regio. Quanquam enim summis et animi et corporis virtutibus praeter ceteros Friderici filios excellens[1]) multa praeclare terra marique gessit maximaque inter omnes cum patre, qui „personae suae speculum" eum appellare consuerat[2]), necessitudine iungebatur, nullum tamen unquam tam fatale subiit discrimen neque ulla re magis historicorum animos in se convertere debet, quam matrimonio illo, quod a. 1238 (ms. Octbr.) in Sardinia cum Adelasia Turritana et Gallurensi regina contraxit.[3]) Mirum sane! Breve temporis spatium Entius in Sardinia moratus[4]) neque unquam postea eodem reversus est, ita ut vix rex a regno sentiretur regnumque päene incognitum maneret regi; quin etiam ipse aut Fridericus imperator haud scio an nullum e propagatis imperii finibus fructum perceperint. Quae quum ita sint, nostro iure inane regium Entii nomen nos vocasse apparet. Nihilominus tamen, quales sunt hominum animi, quoniam etiam videri aliquid tenere te de-

[1]) Salimbene; chron. (Mon. hist. ad prov. Parm. et Plac. pert.) p. 156, 244.

[2]) Huillard-Bréholles: hist. dipl. Frid. II. V. p. 357, 377 cet.

[3]) Ann. Placent. gib. (Mon. Germ. Scr. XVIII.) p. 480.

[4]) Iam 1239 iul. 25 in episcopatu Bononiae sacri imperii totius Italiae legatus a patre factus est. V. Huil.-Bréh. V. p. 357. Mon. Germ. Leg. II. p. 330.

lectat, dummodo id ne alter possidere videatur, revera aliquid fuisse intelligimus Sardiniae regem appellari, quum praesertim illa contentio esset inter papam atque imperatorem, quorum uterque a proposito consilio digitum discedens orbis imperium dimittere putabatur. Sed ut totam illius causae vim penitus cognoscamus, quo tempore Fridericus in tantum cum papa certamen descenderit, velim memores simus. Namque insignem superioris anni victoriam paene oblivione obruerat indomita Brixia; tum primum superari posse imperatorem Lombardi experti fuere; atque id semel se ostendisse Fridericus satis habere ac sine mora cum illis de aequa pace agere debuit; his enim pacatis et ipse sine ullo periculo papae resistere potuisset, neque ille fortissimis sociis privatus unquam ausus fuisset extrema. At imperator statim relicta Brixiae obsidione[5]) priusquam bellum Lombardicum ullo modo componeret, Entio, quem Cremonae militem fecerat[6]), in Sardiniam mandato denuo ecclesiam Romanam ad certamen evocavit, ex quo invictus quidem, tamen non discessit nisi mortuus. Neque enim dubitandum est, quin illa praecipue re ad redintegrandum anathema Gregorius impulsus sit, quippe cui „gravis esse Sardiniae iactura, sed modus iacturae multo gravior et iniuria videretur.“ [7]) Tum „odium inter ipsum atque imperatorem natum quasi vulnus inveteratum saniem generabat.“ [8]) Talia ac tanta quum viderem, id primum meum esse duxi perscrutari, utrius tandem ad ditionem, si pristinas eius res consideraveris, pertinuerit Sardinia. Hic vero cui non in mentem venerit celeberrimum illud Friderici: „ego vero iuravi, ut iam novit mundus, dispersa imperii revocare, quod non segniter adimplere procurabo.“ [9]) Id quo iure tum de Sardinia dici posset ab imperatore, indagare nequaquam etiam a Germaniae historia alienum ratus ante, quam de ipso Entio agere conarer, huic quaestioni operam dare constitui.

---

[5]) 1238 oct. 9 oppido imperator abscessit. Ann. Plac. gib. l. c.

[6]) ib. [7]) Matth. Paris. ad a. 1239. p. 327 ed. Wats. [8]) ib. [9]) ib.

Nostrates enim paulum semper curabant Sardiniam;[10]) apud Italos vero Muratorius omnium longe doctissimus „antiquam illius historiam parum sibi perspectam esse" confessus est;[11]) ceteri atque in primis Sardorum plerique[12]) nimio patriae studio iustoque absconditae eius historiae dolore eo persaepe adducebantur, ut ingentes certae traditionis lacunas explere studerent aut laudandi aut deplorandi ambagibus. Longe vero aliter res sese habuit, postquam acri acutoque Iosephi Manni ingenio illustratae fuere res Sardoae.[13]) Mox insigne Ioh. Franc. Farae chronicon, cuius maior pars tam diu latuerat in tenebris, integrum editum est in lucem.[14]) Secuta sunt utilissima Paschalis Tolae et Petri Martini opera.[15]) Omnium vero maximum nobis attulit emolumentum codex ille Sardiniae diplomaticus ab eodem Tola nuper editus, quo ad posteriora saltem saecula cognoscenda tanquam firmo fundamento nobis licet inniti.[16]) Multo peiore loco sunt vetustiores illius insulae res; sed hic

[10]) Ne Sugenheimius quidem in egregio libro, quem de patrimonio Petri conscripsit (Gesch. der Entstehung und Ausbildung des Kirchenstaats von S. Sugenheim. Leipzig 1854) animum, sicuti debuit, videtur attendisse ad Sardiniam; quam ob rem fore speramus, ut huic opusculo nostro tanquam parvo additamento ad illum accedere liceat. Quae vero J. F. Neigebaurus a. 1853 de insula Sardinia confudit (Die Insel Sardinien, geschichtl. Entwicklung der gegenw. Zustände derselben in ihrer Verbindung mit Italien) hic in censum venire non possunt. [11]) Ant. It. II. p. 1062.

[12]) E. gr.: M. A. Gazano: La storia della Sardegna; 2 tom. Cagl. 1777. Giovacch. Cambiagi: Istoria del regno di Sardegna. tom. I. Firenze 1775; qui idem de Corsica simile quoddam opus confecit.

[13]) Storia di Sardegna del barone Giuseppe Manno. Torino 1825—27. Milano 1835.

[14]) Joh. Franc. Farae: de rebus Sardois l. IV, de chorographia Sardiniae l. II. 1835 Aug. Taur. edendos curavit Ang. Lascaris marchio.

[15]) Haecce dico: Storia ecclesiastica di Sardegna dell'avvocato Pietro Martini. Cagliari 1839. 3 vol. Dizionario biografico degli uomini illustri di Sardegna del cav. D. Pasquale Tola 3. vol. Tor. 1838—40.

[16]) Pars prima, qua continentur saec. XI., XII., XIII., XIV. Hist. Patr. Mon. t. X. Aug. Taur. 1861. Tamen diligenter cavendum ne perversa nonnunquam chronologia aut etiam depravatis interdum diplomatum verbis negligenter confidamus.

Rhodus, hic saltandum, neque fontium aut paucitate aut levitate deterreri debemus.[17] Ostendere igitur nobis stat, qualisnam ratio ab ineunte medio aevo usque ad aetatem Friderici II inter pontifices Romanos aut imperatores interfuerit et insulam Sardiniam; ac ne de Corsis quidem rebus saepenumero sorti illius quasi innexis prorsus silendum existimamus.

[17]) Quantum vero lucis obscuris istis Sardiniae temporibus inde a VII. usque ad XI. saeculum afferrent membranae illae Arborcenses, quae Oristani nuper repertae esse dicuntur, nisi adulterinae suppositaeque omnes essent habendae! Sed de iis infra paulo uberius loquemur.

N. B. Usque ad a. 1198 paparum diplomata, bullas, epistolas optime semper brevissimeque citabo iis numeris, quibus a Philippo Jaffé in regestis pontf. Rom. notatae sunt, apposita littera J.

e. gr. J. 1000. = Jaffé reg. pt. R. num. 1000.

C. D. S. s. XI. 100. = Codex dipl. Sardin. saec. XI diploma 100.

CAPUT I.

De papalis auctoritatis in Sardinia origine.

Sardinia et Corsica insulae in media occidentali maris mediterranei parte sitae, quum certatim peterentur a populis vicinas Africae, Italiae, Liguriae, Galliae, Hispaniae oras tenentibus, eorum semper praedae fuere, quorum classes in illis regionibus dominabantur. Graeci quidem veteres, quamvis magno praeter ceteras regiones Sardiniae studio affecti[1]), tamen neque illam nec Corsicam firmis unquam coloniis sibi adsciscere potuerant resistentibus Poenorum Tyrrhenorumque armis. At populum Romanum expulsis e Sicilia Carthaginiensibus et ipsum classe maritimisque rebus pollentem statim ad illas quoque insulas expugnandas progressum esse mirari minime debemus; circumvallantibus enim una cum Sicilia murorum ratione mare Tuscum Sardinia et Corsica, permagni Italicarum semper gentium interesse oportebat, ne ista propugnacula ab hostibus occupata manerent. Postea vero, quum universa maris mediterranei litora imperium Romanum complecteretur nec iam opus esset ad tuendam patriam talibus munimentis, tamen semper „opimae Sardiniae segetes feraces“ [2]) maximam reipublicae praebebant utilitatem. Sed nos ad hanc florentissimam Sardiniae aetatem Romanam animum advertere nequimus, nec minus praetereunda videntur prisca ecclesiae Sardae initia;[3]) id vero primum erit considerandum, num arctiore quodam vinculo primis saeculis Christianis insula nostra cum apostolica sede coniuncta fuerit.

---

[1]) Inprimis Jones; v. Herodot. I. c. 170; V, 106, 124.

[2]) Horat. carm. I; 31, 4.

[3]) De his egerunt: Mattei: Sardinia sacra. Romae 1761.
Pietro Martini: storia ecclesiastica di Sardegna.

Quanquam enim in futurum minime de internis rebus ecclesiasticis deque potestate canonica, quam Pontifici Romano, sicuti in universum orbem Christianum occidentalem, ita in Sardiniam quoque exsequi licebat, verba facere volumus, hoc tamen loco ne istis quidem quaestionibus supersedere debemus; etenim ex ecclesiastica illa auctoritate paulatim, sicuti infra videbimus, civilis quaedam in republica Sarda pontificum potestas enata est.

cc. a. 350. Constat igitur inter viros doctos[4]) medio saeculo IV metropolitanum episcopum Romanum suburbicarias ecclesias habuisse subiectas, ita ut provincia immo provinciae illius iisdem, atque in republica vicarii urbis dioecesis, finibus coërcerentur.[5]) Haec vero praeter medias atque in meridiem spectantes Italiae partes Siciliam quoque Sardiniamque et Corsicam complectebatur. Attamen sola de ipsa Sardinia moveri potest dubitatio, num adversus eam patriarchalia Romanae sedis iura valuerint. Quin etiam non defuerunt, qui id factum esse omnino negarent;[6]) nam quum Caralim illis temporibus et ipsam metropolim fuisse notum esset, sedi Romanae tum illam obnoxiam fuisse nequire. Quanquam minime parem episcopo Romano locum tenuisse Caralitanum, sed eodem fere modo ac tunc temporis Mediolanensem vel VI saeculo Ravennatem sui iuris administrasse provinciam suam. Sic etsi ex decem provinciis suburbicariis novem tantum sub Romana fuissent auctoritate, tamen satis apte dici potuisse „urbis Romae episcopum suburbicaria loca sollicitudine gubernare.“[7]) Atque id quidem concedendum erit Caralitanum episcopum saeculo IV revera fuisse metro-

---

[4]) Gieseler, Lehrbuch der Kirchengesch. I. Abth. 2. § 94. ed. 4. 1845. — Ziegler, Gesch. der christl. Verfassungsformen in den ersten 6 Jahrhunderten. p. 95. Leipzig 1798. — Richter, Kirchenrecht. B. I. Abth. 1. cp. II. § 20 A, not. 9. — Hegel, Gesch. der Städteverfassung in Italien. I. p. 160.

[5]) Canon. Nic. VI. prisc. transl. ap. Mansi VI. p. 1127. — Rufin. hist. eccl. X. 6. [6]) C. Kortholtus: comment. hist. eccl. de ecclesiis suburbicariis Lps. 1730—1. [7]) Prisc. transl. l. c.; v. not. 5.

Digitized by Google

politanum. Etenim Lucifer Caralitanus Liberii papae in lite Athanasiana socius, qui constantia illum multo superavit et ab ipso Athanasio metropolitanus Sardiniae episcopus vocatur[8]) et a Theodoreto metropolis Sardiniae episcopi nomine in metropolitarum numero refertur.[9]) Attamen eundem Luciferum a. 354 a Liberio ad Constantium imperatorem tanquam legatum, quo officio antea Vincentius episcopus Capuanus functus erat, missum esse constat.[10]) Qua ex re mihi quidem apparere videtur Luciferum, quamvis ipsi in ceteros Sardiniae episcopos metropolitanam agere liceret potestatem, eundem tamen imperio obtemperasse sedis apostolicae. Itaque Sardinia quoque una cum ceteris provinciis suburbicariis ad magnam pertinebat dioecesin Romanam; quod quidem perlucide epistola quadam synodi Sardicensis ad Iulium papam data demonstratur, qua „disponere iubetur, ut per scripta ipsius, qui in Sicilia, qui in Sardinia et in Italia sint episcopi,[11]) quae acta sint et quae definita, cognoscant.“ Talis igitur tum Caralitani videtur fuisse conditio, qualis postea universorum fuit archiepiscoporum, qui tam imperabant suffraganeis suis, quam papae dicto erant audientes. VI quidem saeculo exeunte ita profecto in Sardinia sese rem habuisse infra ex epistolis Gregorii I explicabimus; qua de causa adhibitis, quae supra retulimus, testimoniis etiam illa s. Athanasii aetate longe aliter fuisse iure negabimus.

a. 354.

a. 347.

a. 590—604.

Ac quoniam de his rebus agimus, hanc quoque tangere volumus quaestionem, num in sola insula Sardinia constiterit metropolitana dioecesis Caralitana. Namque conciliabulo illi, quod ab Unnerico Vandalorum rege Carthaginem erat convocatum, hos ex notitia provinciarum et civitatum Afri-

a. 484. Feb. 1.

8) Apolog. pro fuga sua; epist. ad solitar.: opp. ed. gr.-lat. Par. 1627. p. 703. 9) Hist. eccl. II. ep. 12 et 15.

10) Liberii epist. v. J. 40—47, inprimis J. 42: „Quum igitur post legationem Vincentius in illam ductus esset simulationem (sc. Arianam) . . . . frater et coëpiscopus noster Lucifer de Sardinia supervenit“.

11) „Fratres nostri“ legitur in epistola v. Mansi III. p. 41.

cae[12]) constat interfuisse „episcopos insulae Sardiniae:" „Luciferum Calaritanum, Martinianum de Foro Traiano, Bonifacium de Sanafer, Macarium de Minorica, Vitalem Sulcitanum, Felicem de Turribus, Heliam de Maiorica, Opilionem de Ebuso." Nominantur hoc loco praeter quatuor sedes episcopales in Sardinia sitas, Caralim, Forum Traianum, Sulcos, Turres, duae etiam ad Baleares pertinentes, una ad Pityusas; „Sanafer" vero, omnino inauditum nomen, ad Corsicam insulam spectare persuasum habeo. Legimus enim apud s. Gregorium,[13]) Martinum episcopum Tanatensem in Corsica, „cuius ecclesia hostili feritate occupata atque diruta esset," Sagonensis ecclesiae cardinalem sacerdotem constitutum esse. Hunc igitur Tanatensem episcopatum
a. 591. a. 591 sublatum sub corrupto nomine Sanafer latere existimo.[14]) Eo vero, quod Maioricanus quoque episcopus nec minus Minoricanus, Ebusanus, Tanatensis (?) hic appellantur „episcopi insulae Sardiniae," fortasse quispiam adducatur, ut illas quoque insulas Hispanicas nec minus Corsicam provinciae Sardoae partes fuisse statuat.[15]) Sed parum firmis, si quis ita esse velit, nitatur ille quidem testimoniis. Nam quum in isto „episcoporum insulae Sardiniae" indice singula nomina sine ulla locorum ratione confuse permisceantur, ex huius generis monumento nisi temere secundum

12) Ab anonymo quodam conscripta post Victorem Vitensem in libris edi solet; v. et. Mansi VII. p. 1164. cf. Gennadium. c. 92. 13) J. 783.

14) Ita unum saltem episcopatum tum in Corsica fuisse videmus. Quodsi Papencordtius (G. d. Vand.hschft. in Afrika p. 111. not. 1.) hac, uti videtur, episcoporum tabula commotus nullam in Corsica sedem episcopalem Vandalis paruisse contendit, ego, quia sine dubio tota insula iis subiecta fuit, aut tum nullum ibi episcopum fuisse censeam, aut, quod praeferendum duco, „Sanafer" in Corsica ponam necesse est. Mattei quoque (cp. 4. § 15—16) nec minus Martini (st. eccl. I. p. 94) Sanafer in Corsica collocarunt, neque vero Tanatensis ecclesiae iis in mentem venit. Adde quod aperto Gennadii testimonio (de script. eccl. apud Baron. ad a. 484 n. 52) Africae, Sardiniae, Corsicae episcopos Carthaginiensi fidei catholicae expositioni asscusos esse confirmatur.

15) Quod quidem reapse fecit Kortholtus cap. 4. lib. sup. mem.

meum iudicium nequit fieri coniectura de conditione statuque dioecesis Caralitanae. Mihi quidem simpliciter auctor ibi, quas insulas Vandali occupaverant, earum episcopos in eandem capulam videtur coniecisse. Hoc solum forte intelligendum ex eo, quod primum ibi tenet locum nomen Caralitanum, Vandalica quoque aetate haud secus atque antea vel postea principatum quendam fuisse Caralitanum, neque tamen utrum is usque ad Baleares aut ad Corsicam pertinuerit necne, liquet ex sola provinciarum Africae notitia. Ac primum quod ad Baleares insulas attinet, episcopos earum, quos Gregorii I. temporibus cum Hispanica ecclesia iunctos a. 603. fuisse constat,[16]) facere non possum, quin etiam prioribus saeculis ex tam vicina provincia pependisse censeam, quam quidem necessitudinem ipso Vandalorum imperio quodammodo solvi potuisse confiteor. Corsicam vero nisi angusto freto haud a Sardinia segregatam ut Caralitano metropolitae quondam subiectam fuisse arbitrer, multo magis animus inclinat. IV saltem saeculo ineunte ita fuisse eo probatur, quod et a s. Athanasio et a Theodoreto[17]) Lucifer ille Caralitanus, quem supra memoravimus, metropolitanus appellatur *insularum* Sardiniae; quo plurali insularum numero — nisi forte admodum parvas s. Petri s.que Antiochi insulas atque Asinaram intelligere mavis — Corsica simul cum Sardinia tanquam eiusdem provinciae ecclesiasticae Sardiniae pars contineri videtur. Quin etiam confirmari eiusmodi opinio possit Sardicensi ista, quam attulimus, epistola, in qua quum Siciliae, Sardiniae, Italiae episcopatus tanquam Romanam constituentes dioecesin memorentur, solam Corsicam praetermissam esse apparet; qua ex re hanc et ipsam sub nomine Sardiniae latere coniicias. Sed utut tum res sese habuit, neque Vandalis imperantibus talem ecclesiae formam per-

[16]) V. J. 1531; ibi qui nominatur Joannes defensor, eum Hispaniae fuisse defensorem ex altera epistola (J. 1530) apparet.

[17]) L. c. — cf. Martini, stor. eccl. I. l.

mansisse ausim ego contendere, et Gregorii I. temporibus sine ullo dubio utraque insula ab omni alterius copulatione soluta soli morem gerebat sedi apostolicae. Haec autem necessario fuit rei ratio, ut, quo celerius in dies cresceret auctoritas pontificis Romani, eo magis Caralitana potestas deduceretur in angustum. Quae quanquam ineunte praecipue saeculo IV ornata nomine metropolitano etiam Corsicam videtur attigisse, nunquam tamen prohibere potuit, quo minus ipsa quoque ecclesia Sarda simili modo ac reliquae provinciae suburbicariae imperio s. sedis obtemperaret; qua ex re iam imperii Romani aetate arctiorem quandam necessitudinem inter insulam nostram atque pontifices Romanos ortam esse verisimile est. Augebatur autem haec necessitudo patrimoniis illis fundisque, quos iam tum singulae urbis Romae ecclesiae in Sardinia possidebant.[18])

At praecipitantibus tandem ad exitium rebus Romanis, quoniam Italia ipsa suum corpus a perniciosis barbarorum ictibus defendere nequibat, tum quae primae in illis regionibus exsisterent copiae navales, earum Sardiniam quoque et Corsicam sine ulla salutis spe in praedam cedere necesse erat. Etenim Vandali Poenorum manibus parentantes sanguine Romano paulo post conditum Carthaginiense imperium utramque insulam armis subiectam in ditionem suam rede-

[18]) Inter dona, quao Constantinus Augustus basilicao Constantianae ab ipso Romae conditae obtulisse fertur, „massa quoque Varia Sardana (?) (varia Sardoua, in Sardinia) territorio Monensi praestans solidos DCCC“ commemoratur (Vit. Silvestr. ap. Murat. Script. III a. p. 107). Quin etiam basilicae b. Marcellini m. et Petri exorc. idem Constantinus dedisse traditur „totam insulam Sardiniam cum possessionibus omnibus ad eandem pertinentibus praestantem sol. MXXIV“ (ib. p. 110). Quibus locis etsi magnopore fidem augendo videtur superiecisse, qui librum pontificalem conscripsit, nec minus incertum est, num iam ipse Constantinus talia donaverit ecclesiae Romanae, haec tamen sine dubio IV., V., VI. saeculo in multorum patrimoniorum possessionem venit et Sardorum et Corsorum et Siculorum. — Cf. de patrimoniis, quae illa aetate Roma possidebat: Zaccaria, de reb. ad hist. alq. antiquit. eccl. pertin. II. p. 76 sq. Foligno 1781.

gerunt.[19]) Quo facto non solum „eversis fiscalibus horreis vitales,“ ut ait Salvianus,[20]) „venae imperio abscissae“ fuere, sed etiam certae navium stationes paratae, unde adiacentes Italiae civitates promptissimae ad latrocinia agenda sese offerre videbantur. Neque vero ipsae insulae quidquam aliud nisi calamitates atque angustias ceperunt ex imperio Vandalorum. Causas tum quoque praebuit religio. Pares atque Africa pertulit Sardinia Catholicorum persecutiones;[21]) episcopi eius, ut supra diximus, cum Africanis ab Unnerico rege synodo Carthaginiensi adesse iussi sunt.[22]) In qua quum multi ex sacerdotibus fidem Catholicam se abiuraturos negassent, in Corsicam relegati sunt, „ut ligna profutura navibus dominicis inciderent.“ [23]) Iam antea Unnericus plurimos ex domesticis militibusque suis ob eandem causam in Sardiniam et Siciliam miserat in exsilium.[24]) Thrasamundus vero rex CCXX episcopos Africanos propter nimiam fidei constantiam e sedibus suis eiecit in Sardiniam.[25]) Ideo haud inepte dicere possumus, quasi damnatorum colonias a Vandalis in has insulas deductas esse, ita tamen, ut ipsi damnati, id quod fere semper facere solent religionis causa exsules, fidei ac morum suorum exemplo salutaria plerumque

cc. a. 450.
a. 484.
cc. a. 508.

[19]) „Post mortem eius (sc. Valentiniani, qui ob. a. 455) totius Africae ambitum obtinuit (Gisericus) nec non et insulas maximas Sardiniam, Siciliam et Corsicam, Maioricam, Minoricam et alias multas et superbia sibi consueta defendit“. (Vict. Vit. de persecut. Vandal. edit. Paris III. M. de la Bigue. 1610. lib. I. p. 780—81.) [20]) De gubernat. Dei VI, 12, loquitur de Sardinia et Sicilia. [21]) „Quae autem in ... Sicilia, Sardinia ... gessit (Gisericus), melius ibi ipsi, quae passi sunt, miserabiliter lugendo narrabunt“. (Vict. Vit. p. 786. I. c. 17.) [22]) Vict. Vit. II. c. 13.

[23]) Vict. Vit. IV. c. 5. Uberrimam semper praebuit Corsica materiam navalem; v. Laurent. Vernens. (Murat. Sc. VI. p. 112.)

„Quidquid tunc habuit nemorosi Corsica ligni
Aut picis, innumeros ratium defertur ad usus“.

[24]) Vict. Vit. l. III. c. 7. p. 790. [25]) Beda de VI. aetatib. saec. ed. Stephenson II. p. 191 (hist. miscell. l. XVII. c. 2; Vit. Symmachi pp. ap. Murat. Sc. III. p. 124.)

Google

munera istis locis afferrent. Sed alios quoque exsules Sardinia a Vandalis accepit perniciosissimos, qui posterioribus saeculis vix summo cum labore vi et armis ad Christianam fidem atque humanitatem subeundam coacti sunt,[26]) Barbaricinos dico, Maurorum gentem, qui ex Africa a Vandalis eiecti regionem Caralitanam perpetuis vexabant latrociniis.[27]) Tali vero Vandalorum imperio Romanae sedis necessitudinem, qua antea usa erat Sardinia, paene deletam esse facile est intellectu; tamen hac ipsa aetate duo homines Sardi summos
a. 461-68 in occidentali ecclesia honores adepti, alter Hilari, alter Sym-
a. 498—514. machi nomine inditus,[28]) tanquam s. Petri successores Romae sederunt; quorum hic episcopis illis a Thrasamundo in Sardiniam relegatis quotannis pecunia et vestibus missis sub-
a. cc. 450—533. venire ausus est.[29]) Annos circiter LXXX Vandali occupatam habuere Sardiniam; neque vero aut morum Germanicorum aut Arianae fidei vestigia ibi videntur fecisse; laxo enim vinculo insula ista iungebatur cum regno Africano, multoque prius futurum fuisse puto, ut avelleretur ab eo, nisi a reliquis populis tum paene omnino neglectae fuissent res maritimae.

Neque multum abfuit, quin iam saeculo V barbaricae iugum servitutis depelleretur a cervicibus Sardorum. Etenim imperatores Byzantini, quum Italiae litora saepius a piratis Africanis vastata viderent, iam pro suo ipsorum imperio metuentes tanto periculo cunctis viribus occurrere statuerunt.
a. 468. Itaque Leo I a. 468 ingentem classem exercitumque paravit, quos in Vandalorum fines duceret Basiliscus. Sardiniam vero paulo ante Marcellinus[30]) Occidentis patricius eiusdem Leonis

[26]) Ita ut etiam Dantis temporibus progenies eorum pro maximae feritatis exemplo afferri soleret (div. com. purg. XXIII., 94).

[27]) Procop. de bel. Vand. II., 13. p. 268.

[28]) Vit. Hilari. ap. Mur. III., 119; vit. Symmachi, ib. p. 123. not. 1.

[29]) Beda II. p. 191; (hist. misc. XVII. c. 2; vit. Symm. p. 124.)

[30]) Marcellianum Procopius, ceteri Marcellinum; Iulii Nepotis avunculum Jordanis (de orig. Get. c. 45.) paganum Marcellinus comes eum fuisse tradit (chron. ad a. 468 ap. Roncall. II. p. 296).

monitu commotus illis eripiendam susceperat. Is, qui Aëtio
familiari mortuo primum Siciliam occupare conatus mox a. 454.
inde pulsus a Ricimere sui iuris dominabatur in patria Dal- cc. a. 456.
matia, iam ipsi imperio occidentali periculosus putabatur[31]).
Qni tum sine ullo negotio Sardinia potitus, quum navalibus
praecipue rebus operam dedisse videatur, fortasse in poste-
rum illam contra hostium impetus tueri potuisset, nisi statim
Basilisco opem laturus classe in Africam directa fraudulenter
in Sicilia a sociis interfectus esset[32]). Quam ob causam, a. 468. aug.
quum praesertim totnm bellum Basilisci ducis sive ignavia
sive proditione miserandum haberet eventum, Sardinia quo-
que tanto spatio ab imperio orientali remota facillime a Van-
dalis recuperata est. Attamen postquam vires eorum in
Africa paulatim deficere coeperunt, quod Leo frustra tempta-
verat, Justinianus multo minoribus copiis per Belisarium
facile ac feliciter peregit, quam ad cladem barbarici regni
magnum momentnm attulit ipsa Sardinia. Hanc enim paulo
ante Godas, natione Gothns, vir fortissimus, a Gelimere ad-
ministrandam acceperat ea conditione, ut annuum tributum

---

[31]) Prisc. hist. excpt. odit. Niebnhr. p. 218. p. 156; Idacius (chron. ad Ol. 312, 1. ap. Roncall. II. p. 52.) Marcellinnm ab Anthemio in Sardiniam missum esse vult; tamen, quod Priscns et Procopins referunt, Leonem auctorem fnisse praeferendnm dnco; is enim iam antea cum illo de securitate imperii per legatos egerat. (Prisc. p. 157.) Sidonins qnoqne Apolliuaris coniurationem qnandam Marcellianam de capessendo diademate factam commemorat (ep. I. 11).

[32]) Mensem in fastibns Ravennatibns, qnos vocant Cnspiniani chrenologum (ad a. 468. ap. Ronc. II. p. 126.) inveni; iidem in Sicilia caedem Marcelliui factam esse narrant, quod qnidem confirmatur Cassiodori chronici testimonio (ap. Ronc. II. p. 232). Quibus teslibus aeqnalibus postposuimus Procopium, qni in Africa illum collegae cniusdam fraude necatnm esse contendit (d. bell. Vand. I., 6, p. 193); etsi Marcellinns quoqne comes (in chron. ad a. 468 ap. Ronc. II. p. 296) cum eo consentire videtnr, qui „qunm Romanis“, inquit, „contra Vaudalos apnd Carthaginem pngnantibus opem auxiliumque fert, ab iisdem dolo confoditur, pro qnibns palam venerat pugnaturus“.

Quodsi vero Idacins (ad Ol. 311, 1 ap. Ronc. II. p. 48) a. 464 Vandalos a Marcellino in Sicilia victos esse refert, hoc ad a. circ. 464, quo ille cnm Ricimere ibidem certaverat, videtur pertiuere.

ipsi Carthaginem persolveret. Qui imminente Byzantinorum bello fretus et tributo et imperio Africano simul se liberare constituit. Assumpto igitur nomine habituque regio[33]) amicitiam et auxilium petiit a Iustiniano. At imperator, qui minime id agebat, ut novum quoddam separatumque Sardiniae regnum constitueretur, illi quidem parum praebuit subsidii[34]), ipse tamen maximum ex tali coniunctione fructum percepit. Etenim Godas celeriter a Tzazone, Gelimeris fratre, apud Caralim victus atque occisus est; sed hac ipsa re, quod robur militum Vandalorum[35]) in Sardinia morabatur, factum est, ut Belisarius primo fere impetu regnum Africanum everteret. Itaque prius, quam Tzazo cum suis rediit, expugnata Carthagine belli fortuna iam fuit diiudicata. Mox bello Africano peracto
a. 533. Cyrillus a Belisario missus Sardiniam et Corsicam in ditionem imperii Romani recepit, ita ut in posterum in numero septem Africanae dioecesis provinciarum haberentur.[36]) Res civiles praeses cum L magistratibus minoribus praefecto praetorio Africae obnoxius gerendas suscepit; quae ad militiam pertinebant, duci militum tradita sunt, cui militum per Africam magister praefuit.[37]) In Sardinia prope Caralim idonea mili-

[33]) Procop. d. b. Vand. I., 10. p. 203—4.

[34]) Misit Cyrillum cum CCCC militibus, qui cognito Godam iam interfectum esse statim Africam petierunt. (ib.)

[35]) „ἀπολέξας Βανδίλων χιλιάδας πέντε καὶ ναῦς εἴκοσι καὶ ἑκατὸν τὰς ἄριστα πλεούσας“. — „Βανδίλων τοὺς δοκίμους“ ipse Gelimer eos appellat ap. Proc. d. b. V. I., 28. p. 232.

[36]) Antea Constantino M. imp. Sardinia et Corsica cum Italia coniunctae inter provincias snburbicarias numerabantur; de nova Instiniani constitutiono v. l. 1 et 2. C. I., 27 d. d. Id. Apr. 534. Corsica non nominatur, quare cum Sardinia unam provinciam videtur constituisse, cui nomen maioris insulae inditum.

[37]) Lex, qua de civilibus rebus agitur, Archelao praefecto praetorio Africae inscripta, altera Belisario, magistro militum per Orientem; qua ex re quod Hegelius (Gesch. d. Städteverf. v. It. I., p. 129 not. 2) summam imperii militaris magistro militum per Orientem traditam fuisse concludit, id ego quidem probare nequeo; etsi enim in ipsa lege certi cuiusdam mag. mil. per Africam constituti mentio fit nulla, tamen, quum postea a. 551 Iohannes mag. mil.

tum manus adversus Barbaricinos a Belisario collocata decemque dromones ibidem constituti sunt.

Tali igitur modo Graecorum imperium in insulis nostris conditum est; quod tamen tam diu infirmum manere necesse erat, quam Italia vicina ab infestis gentibus tenebatur. Ita- a. 551.
que a. 551 Totilas rex, qui classe ad regenerandas Gothorum opes parata ipsius Graeciae litora devastarat, Sardiniam quoque et Corsicam Romanis eripere statuit. Quod quidem nullo resistente[38]) facillime militibus eius contigit, qua ex re hanc provinciam tunc temporis magni videlicet belli Italici causa neglecta illa imperatoris lege copiis Romanis plane nudatam fuisse intelligimus. Quibus de rebus certior factus Johannes, qui tum militiae in Africa magister erat, classem cum militibus adversus Gothos in Sardiniam destinavit. Sed cum Caralim firmo hostium praesidio munitam invenissent, oppugnare urbem non ausi eruptione a Gothis facta in fugam se contulerunt atque infecta re Carthaginem reversi sunt. Neque vero utrum, id quod in animo habebant, primo vere a. 552.
iterum maiore cum exercitu illos aggressi sint, nec ne, me-

Afr. (ὃς τοῦ ἐν Λιβύῃ Ῥωμαίων στρατοῦ ἦρχε t. t. ap. Proc. d. b. Goth. IV., 24. p. 636) uobis occurrat, etiam, quae iu hac uostra lege (2 §§ 20, 24) de officio magistri mil. dicuutur, ad Africauam magisteriam ea pertinero censeo. Belisarium vero tauti belli victorem suo iure ad ordiuandas iu his proviuciis res militares electum esso coufiteudum est; tameu, quae ille coustituerit, interim tautum atque ad tempus edicta fuisse ex ipsa lege apparet (§ 5); confecto opere ad imperatorem remeare iubetur (§ 13) neque aut ipsum aut alium Orieutis mil. magistrum in posterum Africanis rebus praefuisse verisimile est. —

Nequo ego iguoro, etiam a. 591 iu epistola quadam s. Gregorii pp. (J. 780) Gaudiosum queudam mag. mil. Africae commemorari, sed iuterea novus in Africa patricius sive exarchus coustitutus summum totius dioecesis imperium acceperat, inprimis militare (cf. Hegel I., 180); creberrimus vero magistri mil. titulus illo tempore eum, qui exercitui praepositus fuerit, indicare videtur; qui quidem adeo non praefuit siugularum ducibus provinciarum, ut apud s. Gregorium (J. 783) „Theodorum mag. mil. ducatum Sardiniae iusulae suscepisse“ legamus. Sed de his temporibus iufra disputabimus.

[38]) Proc. de bel. Goth. IV. 24 p. 636.

moriae proditum est.[39]) Sed quum sequentibus annis totum Gothorum imperium in Italia ipsa a Narsete funditus destrueretur, dubitari non potest, quin Sardinia quoque et Corsica eodem fere tempore sub potestatem Byzantinorum redi-
a. 598. erint; quae postea una Langobardorum irruptione leviter, sicuti infra nobis referendum erit, concussa est.

Sed ut ad propositum nostrum redeamus, pontifices Romani bello Vandalico feliciter a Graecis peracto gratam potestatis suae ecclesiasticae in utraque insula denuo restituendae occasionem nacti sunt. Quanquam enim civilis Sardiniae provinciae administratio ad Africanam translata erat dioecesin, consueto tamen vinculo, quod ne a Vandalis quidem plane dissolvi potuerat, illa regio cum Romana sede copulata permansit. Quin hoc ipso, quod ex illo tempore respublica Sarda ex alio remotoque loco regebatur, liberius ibi agere licebat ecclesiae Romanae. Sed quoniam de superioribus annis omni caremus monumento, ex s. Gregorii demum epistolis solidam atque expressam illius provinciae imaginem percipere possumus. Hunc igitur persaepe etiam civilibus Sardiniae rebus suam auctoritatem videmus interponentem, ita, ut ipsum summi magistratus fere partes egisse censeas. Quod quomodo fieri potuerit, melius ut intelligamus, paucis verbis demonstrandum puto, quanta reipublicae mutatio facta sit in imperio Romano inde a Justiniani I aetate.

Hic enim imperator pessimae omnique modo corruptae imperii administrationi mederi cupiens, quum munerum nundinationem totius mali causam esse persuasum haberet,
a. 535. a. 535 gravissima constitutione[40]) vetito quolibet „suffragio“ ut iudices „gratis sumerent administrationes“[41]) imperavit, cui legi ipse tantam tribuit vim, ut „pro ea ab omnibus civibus hymnos deo offerri“[42]) eamque in sanctissimis eccle-

[39]) „ἐφ' ᾧ δὴ ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ παρασκευῇ πλείονι ἐπί τε Κουρσικὴν καὶ Σαρδὼ αὖθις στρατεύσωσιν.“ — Sed neque Procopius neque Agathias amplius quidquam de utraque insula tradiderunt.

[40]) Nov. 8 tit. 2 d. d. 16 Kal. mai. [41]) ib. c. 1. [42]) ib. c. 11.

siis recondi sacris vasis iuberet.[43]) Ac re quidem vera hac constitutione tota reipublicae forma magnopere mutata est. Quanquam enim civilis illa, ut ita dicam, simonia adeo non sublata fuit in posterum, ut a. 595 iudex Sardiniae reditum a. 595. suum illegitimum nimii, quod persolvisset, suffragii excusatione palam defenderet[44]), tamen illa lege factum est, ut vera reipublicae administratio a civilibus magistratibus transiret ad ecclesiasticos.[45]) Namque imperator illos in sua ipsorum causa innocentes fore diffidens edixit, ut apud episcopos metropolitanos, quibus ipsam constitutionem et promulgandam tradidit et conservandam[46]), sollemne illud iusiurandum provinciarum iudices munus ineuntes iurarent, et sine suffragio sese cingulum percepisse et sioe fraude id gesturos;[47]) deinde, ut episcopi, archiepiscopi, patriarchae tam iustorum iudicum quam iniustorum nomina et gesta ad ipsum imperatorem deferrent ac, quicquid in provincia sua vel contra hanc legem vel contra reliquas factum esset, ipsi ad examinandum punieodumque renuntiarent;[48]) denique ut coram episcopis per L dies depositis fascibus iudices muneris administrati rationem redderent.[49]) Ac quum praeterea a. 539. alia lege sancitum esset, ut quisquis a iudice ius suum non fuisset adeptus, archiepiscopum adiret[50]), tum, ut dubias res hic una cum illo dissolveret[51]), quin etiam, si quis laederetur a iudice, ut archiepiscopus ipse inter iudicem et laesum hominem iudicaret[52]), reapse episcopos metropolitanos tum iam praesidum praesides, iudices iudicum factos esse iure contendemus. Adde quod pragmatica illa Justiniani sanctione

---

43) ib. edict. archiep. et patriarch. in prologo.

44) v. ep. s. Gregor. J. 991.

45) cf. de toto hocce capitulo praeclaram Hegelii explicationem (Gesch. d. Städteverf. in It. l. p. 138—44).

46) ed. arch. et patr. in prologo.

47) v. c. 14 nov. 8.; iurisiurandi formula continetur tit. 3 ib.

48) c. 8. ib.: ed. arch. et patr. in prolog. ib. 49) c. 9. ib.

50) c. 1. nov. 86. d. d. 15 kal. mai 539. 51) c. 2. ib. 52) c. 4. ib.

a. 554. a. 554 data in eligendis quoque in Italia iudicibus maximae
episcopis partes traditae fuerunt[53]), quam institutionem
a. 568. Justinus imp. II a. 568 in totum imperium extendit.[54]) Quibus rebus omnibus quum universorum archiepiscoporum patriarcharumque tum Romanae sedis potestatem summopere auctam esse intelligimus; hanc enim tunc temporis et plurimum praeter ceteras excellere coepisse et longo spatio intermisso minus ex orientalium imperatorum auctoritate pependisse notum est.

Ad quod perficiendum plurimum valuit multa ipsius Gregorii I virtus. Qui quomodo in Italia iam paene principis instar, quantum supererat imperii Romani, continuerit, rexerit, defenderit, optime demonstravit Hegelius[55]); nos vero ad solas insulas nostras animum advertemus, quas quidem summae praeter ceteras regiones curae Gregorio fuisse apparet.[56]) Atque hoc ex duabus praecipue causis explicandum est; primum, quia magna b. Petri patrimonia in utraque insula sita propter percipienda vectigalia perpetuum postulabant Romae commercium, deinde quia vix ulla alia totius orbis Christiani regio tum pari modo assidua sedulaque ecclesiae cura indigebat. Nam quod ad ipsum ecclesiae fundamentum attinet, fidem dico Christianam, utriusque insulae
a. 533. tristissima illo tempore fuit conditio. In Sardinia inde a
Cyrilli temporibus perpetuum cum Barbaricinis, qui proprio
a. 594. duci parebant, bellum gerebatur. Tum a. 594 accidit, ut
Zabarda Romanorum militum in Sardinia dux pacem faceret cum Hospitone, duce Barbaricinorum ipso Christum con-

53) c. 12. pragm. sanct., inter „alias aliquot constitut. Iust." 1. d. d. Id. aug.

54) c. 1. nov. 149. d. d. 15 kal. feb. Constantinopoli; imp. Dn. Iustini Pp. Aug. anno 4, post cons. eius a. 2, i. e. a. 568. (v. Muratori annal. ad a. 566—68, notas translat. Germanic.)

55) Gesch. d. Städteverf. in It. I. p. 151—200; praeterea cf. monogr. de Gregorio I. cscpt. a Pfahler (Fft. 1852) et a Lau.

56) Ex *845*, quae exstant, s. Gregorii epistolis in *46* agitur de Sardinia et Corsica. (= 1/19.)

fitente, eo pacto, ut etiam populus eius Christianae fidei conciliaretur.[57]) Quid maiore potuit laetitia afficere Gregorium? Qui statim homines suos ad praedicandum missos ipsi Hospitoni per litteras commendat, quibus eum ad perseverandum in bonis operibus adhortatur; Zabardam magnopere collaudat ipsisque serenissimis principibus merita eius renuntiat. Sed illud conversionis opus lentissime apud Barbaricinos processisse verisimile est, quanquam ipse papa postea per notarium suum mancipia Barberina in Sardinia emenda curavit.[58]) Nam ne in iis quidem insulae partibus, quae a Romanis tenebantur, ultimae paganitatis reliquiae illis temporibus evulsae erant. Quanquam enim ad subiiciendos hostes barbaros aptum magistratus Romani instrumentum sibi fore putabant fidem Christianam, subiectos tamen revera in eadem manere parum eorum intererat. Quamobrem Gregorium vel solum vel etiam contra civilium iudicum conatus impigre atque assidue per totam vitam dilatandae Christi fidei inter rusticos et provinciales Sardiniae operam dare videmus. Modo strenuos mittit praedicatores,[59]) modo novum episcopum vacanti Phausianensi sedi ad convertendos idololatras praeponi iubet,[60]) modo iudicem quendam, qui paganis sacrificandi facultatem dederat, dummodo ipsi tributum ad „suffragium" suum recuperandum persolverent, gravissime apud Constantiam Augustam accusat.[61]) Sed etiam per vim idololatriam exstirpare cupiens tamdiu paganos ecclesiae rusticos oneribus atque indictionibus premi vult, donec ad fidem Christianam traducantur.[62]) Neque vero melius res sese habebat in Corsica, ubi Petrus Aleriensis episcopus a a.597.sept. Gregorio monetur, ut paganitatem impugnare pergat.[63]) Quin etiam adeo illa aetate haec insula humano civilique cultu

[57]) J. 932, 934.
[58]) J. 1372 a. 600 nov. — vid. J. 1371: „barbari pagani".
[59]) J. 930, 934. [60]) J. 936. [61]) J. 991. [62]) J. 933 v. qq. 1220.
[63]) J. 1123.

a. 591. iun. carebat, ut a. 591 primum demum in ea monasterium Gregorii opera conderetur;[64]) contra in Sardinia iam tum multa coenobia fuisse comperimus.[65]) Qualisnam vero tunc temporis Corsicae status fuerit, ex eo potissimum intelligere licet, quod Gregorius ad condendum illud primum monasterium „pro incertitudine temporis locum super mare, qui aut loci dispositione munitus exsistat, aut certe non magno labore muniri valeat,“ requiri iubet. Ac re vera quidem tali circumspectione opus erat; namque eodem fere tempore ec-
a. 591. aug. clesiam Tanatensem hostili feritate occupatam ac dirutam esse audimus.[66]) Hoc vero ab ipsis Corsis factum esse censemus; alios enim hostes, de quibus postea referemus, Langobardos iam tum Corsicam iniisse non credendum est. Quae quum ita essent, mirari nullo modo debemus, quod Corsi tam tardi fuerint in episcopis eligendis, ut etiam maximarum insulae civitatum, Aleriae Adiaciique clerum et populum ad id faciendum per defensorem admoneri oporteret.[67]) Sed etiam Sardae ecclesiae status tum parum firmus nec satis bene ordinatus videtur fuisse; hic enim maximas papae difficultates
a. 591. iun. praebuit ipsius Ianuarii, quem inde ab a. 591 usque ad a. 603
–603. sept. archiepiscopatu Caralitano perfunctum esse constat,[68]) sim-
a. 593. mai. plex,[69]) pertinax saepiusque insolens animus, ita ut a. 593 eum castigandi causa Romam adduci iuberet per defensorem ac notarium suum.[70]) Qua ex re iam videmus archiepiscopum Caralitanum illa aetate eodem modo ac ceteros Romanae dioecesis episcopos utique subiectum fuisse auctoritati sedis apostolicae; tamen coëpiscopis suis Sardis tanquam metropolitanum eum praefuisse constat; quos quidem ipse papa, ut illi dicto sint oboedientes, hortatur;[71]) metropolitae deinde

64) J. 756. 65) J. 752, 913, 922, 953, 1374 cet.
66) J. 783. 67) J. 1429.
68) prim. commemoratur J. 783, ult. J. 1534. 69) J. 1534. 70) J. 876.
71) J. 1164: „Hortamur ergo vos (sc. VI reliquos Sardiniae episcopos) ne eum (sc. metropolitanum) postponere in aliquo praesumatis; excepto si,

veterem concilii bis in anno concelebrandi consuetudinem redintegrandam commendat.[72]) Corsicana vero ecclesia, si quidem unqnam e Carali pependerat, tum, ut iam supra memoravimus, ab omni eius coniunctione soluta sola imperia accipiebat Romana. — Utriusque enim insulae administrandae talis, ut ita dicam, machinatio fuit: Et Sardois et Corsicanis s. Petri patrimoniis snum utrisqne rectorem ex defensorum schola electum papa praefecit; qui defensores per complurium spatium annorum alter Carali, alter nescio quo loco in Corsica residentes non vectigalia solum ceterosque fructus publicos administrandos accipiebant, sed etiam omnium clericorum ipsorumque episcoporum negotia atque munera inspicere debebant, ut penes eos summam rerum ecclesiasticarum curam fuisse dicendum sit, ita tamen, ut omnia ad pontificem referentes illius semper nutum diligenter eos intueri oporteret.[73]) Quin etiam a. 603 Vitalem defensorem ipsius Ianuarii metropolitae aegrotantis vice in Sardinia fungentem eundemque Constantinopolim ad tuendos possessores Sardos proficiscentem videmus.[74]) Praeterea interdum, si quid gravius perpetrandum erat, notarius tanquam extra ordinem legatus Roma a Gregorio in provinciam missus est.[75]) a. 603. sept.

qned nen optamns, centra enndem metrepolitannm vestrum habere vos aliqnid canssae centingat, ut ob hec sedis apestolicae indicium requiratis."

[72]) J. 914. [73]) E. gr. J. 836, 876, 1157, 1219.

[74]) J. 1534; apnd Jaffénm pro „Siciliae" legendnm: „Sardiniae."

[75]) Ecce tabnla ntriusqne insulae defensorum ac netariorum, quorum mentio fit apud s. Gregorium:

a. 592. aug.		Iohannes notarius missns in Sard.	J. 836.
„ 593. mai.	Sabinus defensor Sardiniae	Ieh. not. in Sardinia	J. 876.
„ 598. sept.	Vitalis def. Caralitanns		J. 1157.
„ 599. apr. mai.	Vit. def. Sardiniae		J. 1219.
„ 600. nov.	Vit. def. Sard.	Benif. not. miss. in Sard.	J. 1372.
„ 603. sept.	Vit. def. Sard.		J. 1534.
a. 591. iun.	Symmachus def. (in Corsica)		J. 756.
„ 601. aug.	Bonifacius def. Corsicae		J. 1429.
„ 603. feb.	Bonifacius not. Corsicae		J. 1507.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Tali igitur modo factum est, ut pontifex Romanus per defensores notariosque suos imperaret episcopis; ac quum episcopi rursus secundum illas, de quibus supra egimus, imperatorum leges haud spernenda fruerentur potestate civili, fieri non potuit, quin ipse papa statim de unoquoque casu publico certior factus omnium rerum gerendarum vel auctor vel particeps saepenumero principis partes in insulis nostris ageret. Quare mirari minime debemus, quod etiam cum propriis reipublicae magistratibus plurimus illi usus fuerit.
a. 534. Magistratus autem eosdem, quos Iustinianus a. 534 instituerat, etiam tum in provincia nostra reperimus, ita tamen, ut maior administrationis pars, id quod turbulentis istis temporibus aliter fieri nequibat, penes militares esset magistratus.[76]) Commemoratur quidem in epistolis s. Gregorii[77]) Sardiniae praeses sive iudex — hoc enim nomen tunc magis erat in usu —; sed quoniam iudicialis quoque eius potestas

Jam igitur defensores complures annos in provincia versatos esse vides; contra notarii semper ad certum quoddam negotium peragendum mittuntur. Quodsi vero Bonifacius defensor Corsicae (J. 1429) alio loco notarius Corsicae vocatur (J. 1507), fortasse Bonifacius notarius, qui ad emenda mancipia Barberina a. 600 nov. in Sardiniam missus erat, proximo anno defensor Corsicae factus postea nonnunquam notarii titulo appellabatur (J. 1372, 1429, 1507). — A. 627 etiam Barbarus, defensor regionarius (i. e. unus ex VII scholae defensorum antistitibus) extra ordinem ab Honorio I. in Sardiniam missus est (J. 1561). Omnino vero admodum difficile videtur, accurate varia tum subdiaconorum, defensorum, notariorum negotia discernere. Cf. de hac re Hegelium (I, 162) quem tamen parum recte notarios subdiaconis paene aequasse iudico. Rarissime enim notarius a Gregorio ad regenda patrimonia mandatus est (J. 867). Quod quidem munus modo subdiacono modo defensori videtur traditum esse, nonnunquam etiam diacono, ita ut in Sicilia Petrum subdiaconum (J. 704—824) sequatur Cyprianus diaconus (J. 957—1100), cui quidem successit Romanus defensor (J. 1177—1483). Itaque Hegelius, eodem iure ac notarios, diaconos quoque tanquam patrimoniorum rectores afferre debuit. Ceterum defensores, subdiaconos, notarios pari modo ecclesias inspexisse fatendum est (v. J. 1199); neque ego notarios subdiaconosque eandem scholam constituisse negare studeo. (v. Hegel I, 163. not 1.) Quemadmodum autem in Sardinia et Corsica res sese habuerit, ex tabula nostra perspicue intelligere licebit. —

7 Cf. Hegel I, 181. 77) J. 991, 1371.

per episcopos admodum erat limitata, id praecipue officium eius videtur fuisse, ut vectigalia ac tributa a possessoribus exageret. Qua in re summopere cordi fuit Gregorio, ne infelices cives nimiis premerentur oneribus. Itaque contra iudices Phausianensem dioecesin vexantes auxilium implorat Innocentii praefecti praetorio Africae,[78]) qui antea ipsi per litteras nuntiaverat, „qualiter in Sardinia pauperes a maioribus opprimerentur.“ [79]) Quomodo vero etiam Constantinopoli possessorum Sardorum causam per defensorem agendam curaverit,[80]) ac quomodo ipse iudicem illum, qui ex paganorum sacris quaestum faciebat, apud Constantiam Augustam accusaverit,[81]) iam supra narravimus; maximam autem operam dedit, ut tristissimam sublevaret calamitatem Corsorum. Hi enim „tanta exigentium nimietate tantoque exactionum gravamine“ premebantur, ut filios suos vendere atque etiam derelicta patria ipsi ad Langobardos effugere cogerentur.[82]) Nec minus rebus a militaribus magistratibus gestis animum advertebat Gregorius ac, sicuti Zabardam Sardiniae ducem apud imperatores ab eo laudatum esse scimus,[83]) ita de Theodoro, qui ante illum ducatu functus erat, et Constantinopoli apud principes[84]) et Carthagine apud Gennadium Africae patricium sive exarchum conquestus est.[85]) Hunc enim tum militaribus provinciae nostrae rebus sicut praefectum praetorio civilibus praefuisse constat. In Corsica quoque certa militum manus, cui praeerat tribunus, collocata erat. Itaque Gregorius a. 596 a Gennadio petiit, ut huic exercitui Corsicano utilem praeficeret personam, ne hoc neglecto adiumentum hostibus praeberetur; quam ad rem Anastasium tribunum, qui iam prius ibi imperium tenuerat, iterum mittendum a. 596. oct.

[78]) J. 1352; „iudices“ hoc loco sunt magistratus minores; Africani appellantur, quia ad magnam Africae dioecesin pertinebant; fortasse nonnulli eorum ex Africa in Sardiniam missi erant; quanquam, praesides saltem sive „provinciarum iudices“ ut ex ipsis fierent provinciis, lex erat. v. c. 12. pragm. sanct. Justiniani I. [79]) J. 1323. [80]) J. 1534. [81]) J. 991.

[82]) ibidem. [83]) J. 932. [84]) J. 753. [85]) J. 765.

commendat[86]). Hostes vero, de quibus loquitur papa, Lango-
a. 598. oct. bardos fuisse certum est. Etenim biennio post, quum interea revera Langobardi irruptionem in Sardiniam fecissent, dudum se, hoc ne foret, metuisse ac Januario et Gennadio de ea re nuntiasse scribit[87]). Quare illam quoque epistolam a. 596 oct. ad Gennadium datam ad hoc periculum a Langobardis imminens pertinere existimo, quos eo magis oculos in Corsicam coniecturos esse verisimile erat, quo certiores de immani huius insulae calamitate per transfugas Corsos facti essent. Ac tum iam eo res processerat, ut magis ipse papa bellum adversus Langobardos gereret, quam imperator Romanus. Neque minus eundem Gregorium sua sponte saepius cum Agilulfo illorum rege de pace egisse notissimum est[88]). Sed ut ad Sardiniam nostram redeamus, papa illa,
a. 598. quam praeviderat, hostium irruptione (a. 598 facta)[89]) haudquaquam animo fractus ab exarcho Africae frustra postulato subsidio, quum in magistratibus Romanis diutius non confideret, ipsum Ianuarium archiepiscopum Caralitanum ad defendendam insulam impellere conatus est. Itaque binis litteris
a. 598. oct. pacem cum hoste diuturnam non fore ratus illum Caralim reliquaque loca fortius munire, murorum vigilias constituere, aptum commeatum praeparare, denique curam omnibus locis adhibere iubet[90]). Sed contigit insulis nostris, ut Langobardi in alias res incumbentes posteris annis iis parcerent.

Atque haec hactenus de Gregorio Magno. Qui, ut comprehendamus, quae singula de eo attulimus, egregia sollicitudine ac diligentia omnes Sardiniae Corsicaeque res animo circumspiciens non ecclesiarum solum vitiis mederi, sed etiam ipsam rempublicam domi bellique iuvare ac servare studuit,

86) J. 1081. 87) J. 1159.

88) a. 598 oct., 599 mt., 600 iul.; cf. J. 1159, 1162, 1203, 1322.

89) Utrum in Corsicam quoque tunc impetus factus sit necne, ex epistolis Gregorii non liquet. — Corsicam postea aliquando Langobardis subiectam fuisse infra demonstrabimus.

90) J. 1159, 1162. 91) J. 1561.

adeo, ut re ipsa summa in illis regionibus auctoritas iam tum esset apud sedem apostolicam. Tali igitur modo usque ad id tempus res nostras processisse vidimus: Pristinum sedis Romanae per Sardiniae Corsicaeque ecclesias imperium turbatum quidem periodo Vandalica, repressa interea aemula Caralitanorum potestate metropolitana, mox una cum dominatione Graecorum in integrum restituitur, paulatimque deinde, sicuti ubique per totam Italiam factum est, etiam civilis quaedam in republica auctoritas successorum s. Petri enata est; qui quidem ad id peragendum nulla sollemni, qualem posterioribus saeculis finxerunt, imperatorum donatione, sed sua ipsorum industria illorumque negligentia pravaque imperandi atque extorqendi libidine nisi sunt. At utinam ne amissa essent sequentium paparum regesta! Ita enim admodum pauca per totum saeculum VII in reliquis eorum epistolis vitisque vestigia reperimus insularum nostrarum. Primo quidem Honorium I papam Gregorii exemplum a. 627.
secutum praefectum Africae ad puniendum Theodorum per- iun. 10.
versum praesidem Sardiniae exhortantem videmus[91]). Martinum vero I atque Ioannem V denuo archiepiscoporum Ca- a. 649–53.
ralitanorum potestatem ordinatione ecclesiae Turritanae in a. 685–86.
perpetuum iis adempta restrinxisse memoriae proditum est[92]). At imperatores Graeci magis magisque in dies Sardorum Corsorumque animos a sese alienarent necesse erat. Amissa enim per Langobardos maxima Italiae parte, insulae paene solae summa tributorum multitudine delectuumque acerbitate premebantur[93]). Ita Sardoae quoque res grave a. 663—
quoddam discrimen subiturae esse videbantur, sed quum 68, 69.
exorta saeculo VIII magna iconomachiae contentione septentrionales Romanae dioecesis partes ab omni Graecorum

92) Vit. Ioannis V. ap. Mur. sc. III. p. 147 cf. J. 1638.

93) Constante (a. 663 – 68) et Constantino Pogonato (a. 669) imperantibus. v. vit. Vitaliani et Adeodati pp. Mur. III. p. 141. Paul. Diac. Langb. hist. V. c. 11, 12. Hist. misc. XVIII., 22.

Digitized by Google

imperio liberatae in manibus tamen b. Petri manerent, contra Sicilia et Calabria Romanae sedis auctoritati plane eriperentur ab imperatore Byzantino[94]), Sardinia et Corsica utrique subtractae tum quidem neutrius in possessionem cessere.
cc. a. 700. Etenim iam ineunte saeculo VIII primis Saracenorum incursionibus factum est, ut illa ditionis civilis fundamenta, quae pontifices Romani antea in insulis nostris iecerant, everterentur simul atque una cum imperio orientali, in quod tanquam in solum inmissa fuerant. Neque prius, quam ultimae Arabum catervae tribus saeculis post ex illis regionibus expulsae erant, firmo ibidem gradu insistere ulli papae licuit. Qualisnam vero per hancce Saracenicam periodum Sardiniae nostrae conditio fuerit, sequenti capite, brevi quadam antea digressione intermissa, explicare conabor.

APPENDIX.

De membranis Arboreensibus.

Alto semper dolore premebantur Sardorum animi, quotienscunque paginas in doctissimo Manni libro[1]) percurrentes miserrimum historiae patriae statum adspiciebant. Ac quanquam etiam quae saeculo XI, XII, XIII a iudicibus in Sardinia gesta sunt, nequaquam penitus nos cognita habemus, exstant tamen praeter ea, quae a Pisanis vel a Genuensibus narrantur, nonnulla quoque illorum temporum vernacula testimonia, quorum in numero, ut omittam cuiusvis generis diplomata, maxime videntur laudandi codices illi

94) Theophanes in Chronogr. ed. Bonn I. p. 631. cf. ep. Nicolai I. a. 860 sept. 25 ad Michaëlem imperatorem dat. J. 2021.

1) V. P. Martini: storia delle invasioni degli Arabi cet. . . in Sardegna. Cagl. 1861 p. 33.

ecclesiarum Sardiniae manuscripti, quibus „condagues“ nomen inditum; praeterea aliis hodie amissis XVI etiam saeculo Fara uti potuit.[2]) Econtra per universum hoc temporis spatium inde a VII usque ad XI saeculum, nisi ad paucissima ac tenuissima exterorum verba confugere liceret, prorsus nihil sciremus de Sardinia. Neque vero est, cur ita esse miremur, neque si quis idcirco negligentiae veteres Sardos accusare velit, aequum ille ferat iudicium.[3]) Quam pauca Hispani prodiderunt bellorum, quae pro libertate ac fide tuenda contra Saracenos susceperunt, monumenta historica! Illa vero erat gens magna s.que usque ad Isidori aetatem totum litterarum cultu aequaverat occidentem. At in Sardinia, quam Gregorii I temporibus semibarbaram provinciam fuisse vidimus, quum sola postea atque ab omnibus derelicta saepius per tria saecula contra infestissimos Arabum impetus sese defenderet, quis, quaeso, tristissima illa patriae fata narrare aut voluit aut potuit? Judices enim, qui tum magna sine dubio virtute bellica hostes repellebant, novasque exstruebant reipublicae formas, ullam scientiae operam dare nequisse apparet; clerum vero inprimis feros agrestesque semper ipsorum iudicum populique mores aut impugnare aut emendare ditissimasque sibi ipsum possessiones comparare oportebat. Quin etiam sequentibus saeculis XI, XII, XIII, quamvis iudices rudi quadam observantia ecclesiam coluisse ex diplomatis intelligere liceat, tamen vulgaris insulae status perpetuis inimicitiis civilibus aemulisque exterorum contentionibus vexatae tam incultus ac ferox videtur fuisse, ut quenquam Sardorum illo tempore ad praeteritorum saeculorum historiae studia se contulisse difficile sit ad credendum. XIV demum saeculo prodiere statuta Sassarensia[4]), prodiit illud iuris Sardoi cor- a. 1316;
pus ab Eleonora emissum;[5]) sed longe leges conditae ante- a. 1395 apr. 11.

[2]) V. Fara de reb. Sard. p. 224—243.
[3]) P. Martini l. c. not. 1 h. c. [4]) C. D. S. s. XIV, 7.
[5]) v. C. D. S. dissert. V. p. 498.

cedere solent historiam scriptam; et si etiamtnm necessarias tantum res ac non delicias litterarum vel cives Sassarenses vel Arboreae indices tractarunt, qnid tandem antea a paupere plebe, paucis liberis, iudicibus denique paene servis modo Pisae modo Genuae, factum esse putas? Tamen quoniam illa existimantur tempora Sardiniae vere heroïca, fieri non potest, quin hodie Sardi elatis animis ad istam indicnm aetatem respicientes summo penitus eius cognoscendae desiderio teneantur. Ecce membranae Arboreenses! Habemus tandem monumenta, qualia nos recepturos antea ne sperare quidem quisquam ansus erat; pnrgati de neglecta traditione maiores nostri; reperta tot poëtarum, chronographorum, scriptorum[6]) nomina saltem atque fragmenta, quae sancto indicnm Arboreensium patriae amore servata fuere.[7]) Ecquis Sardus, ubi ita de domo agitur, integrum facere possit indicium? Neque vero qnenquam esse arbitramur, qui nobis, quod omne cautionis genus in tali re adhibere conemur, vitio vertat.

Dicuntur igitur membranae Arboreenses veterum indicum tabularii esse reliquiae abditaeque deinde timore Aragonensinm Oristani latnisse in fratrum minorum observantium monasterio, quod quidem a. 1832 dissolutnm est. A. demnm 1845 Cosimns Manca sacerdos, qui illius regulae quondam consors fuerat, ipse, quantum in manibus haberet thesaurum, ignorans primam chartam pergamenam[8]) familiari suo Ignatio Pillitu, soli totius Sardiniae secundum Petri Martini iudicium[9]) palaeographiae perito, venumdedit. Prodiere deinde sequentibus annis ex eodem fonte paulatim XX circiter pergamenae, codices, folia chartacea, gravissima totidem historiae patriae monumenta, quibus repertis tandem tenebrae, quibus adhuc heroica iudicum aetas velabatur, dirnptae esse videbantur. Tanta vero laetitia primam membranam a. 1846

6) P. Martini: stor. d. inv. p. 34 – 35. 7) ib. p. 36—37.

8) Pergamena prima d'Arborea.

9) P. Mart. stor. inv. p. 40: „Il solo capace di decifrarne i diversi antichissimi caratteri e di chiarirne colla lezione il grande valore storico".

a Petro Martini editam atque illustratam Sardi excepere, ut etiam Paschalis Tola, doctissimus codicis diplomatici Sardiniae auctor, libenter illi fidem tribueret. Mox tamen eandem exactissimo examinatam iudicio spuriam esse expertus[10]) ne de reliquis quidem pergamenis Arboreensibus ulli ad codicem suum diplomaticum aditum dedit. Sed quoniam neque Tola, quibus causis ipse permotus sit ad suspicandum, usquam adhuc exposuit, et alii homines litterati, inprimis Petrus Martini[11]) usque ad hunc diem istis membranis tan-

---

10) C. D. S. diss. I. p. 116 not.: „Ma un posteriore esame, coscienzioso e approfondito, di quel documento mi fece dubitare della sua autenticità e sincronismo. E siccome un tal dubbio esiste sempre nell' animo mio, malgrado la contraria opinione di nomini rispettabilissimi, perciò mi riservo intiera la liberta di addurne a suo tempo i motivi".

11) Quae *Petrus Martini* de illa materia conscripsit, haec sunt:

1. Pergamena d'Arborea illustrata da P. M. Cagliari 1846. 4o.
2. Nuove pergamene d'Arb. illustrate per P. M. Cagl. 1849. 8o.
3. Studj storici sulla Sardegna per P. M. Torino 1855. 4o. (memor. dell' Academ. tom. 15 ser. 2).
4. Testo di due codici cartacei d'Arb. pubblicati da P. M. Cagliari 1856. 8o. gr.
5. Illustrazioni ed aggiunti alla storia ecclesiastica di Sardegna per P. M. Cagl. 1858. 8o.
6. Storia delle invasioni degli Arabi e delle piraterie dei Barbareschi in Sardegna per P. M. Cagl. 1861. 8o.
7. Pergamene, codici e fogli cartacei di Arborea, i. ab. a. 1863 . . . 4o.

Eandem rem tractavere alii hi:

Ignatius Pillitu (sive Pillito): 1. Illustrazione d'un foglio cartaceo del secolo XV per I. P. Torino 1852. 8o.

2. Poesie italiane di Lanfranco di Bolasco illustrate per I. P. Cagliari 1859. 8o.

Albertus della Marmora: Sopra alcune antichità sarde ricavate da un msc. del sec. XV, memoria dell. A. d. M. Torino 1855. 8o. (id. nelle memorie dell' Acad. reale delle scienze di Torino, ser. 2 da tom. 14).

Salvator Angelus Decastro: Nuovi codici d'Arborea pubblicati dal canonico cav. S. A. D. Cagl. 1860. 4o.

I. F. Neigebaur.: 1. Ihaletus Sardiniae rex, carmen ineunte saec. VIII.

quam firmis historiae fundamentis acquiescunt, nostras dubitationes breviter explicare nostrum videtur esse.

Extranea quidem nos eminus exigere nequimus. Concedamus igitur litterarum formàs notasque in illis codicibus, foliis, palimpsestis enunciare saeculum XV, XIV, XIII, XII, VIII, rubiginem atque squalorem vetustissima tempora indicare. Interna patent; hoc loco movenda suspicio. Atque id primum confiteri debemus, arctissimo quodam vinculo omnia ista monumenta inter se coniungi: confirmatur alterum altero, quaeque in uno per se conspecta obscura manere possunt, multam ex altero lucem accipiunt; quam ob rem aut omnia sincera, aut omnia uno opere eademque industria ficta ac simulata. Quod quidem, sicuti recte iudicavit Martinius, saeculo XV vel antea fieri non potuit, nimis enim difficile fuisset. Aliter res sese habet, postquam Mannus Sardiniae historiam confecit. Certe in incognito quinque saeculorum spatio tanquam in tabula rasa longas regum series variasque res ab iis gestas impune licet collocare; quid, quod etiam pauca illa, quae iam aliter ab exteris de Sardinia memoriae prodita erant, confirmantur, immo explicantur! Translatio s. Augustini cum minimo quoque momento uberrime narratur. Annum, quo illa translatio facta esset, incertum esse Muratorius confessus rem tamen in annalibus sub a. 722 tradiderat; revera eodem a. 722 s. corpus translatum esse discimus ex membranis Arboreensibus. Legatio ad Ludovicum Pium missa, qua Sardos imperio se subiecisse Mannus negaverat[12]), reapse nihil aliud ac salutatio gratias agendi causa mandata fuisse probatur codicibus Oristani repertis. Summum ponti-

---

compositum, primum a Petro Martini Caralibus publicatum, repetendum curavi I. F. N. Vratislaviae 1852. 8o.

2. Die Insel Sardinien, herausgeg. v. I. Minckwitz. Lpzg. 1853.

L. Ross.: Allgem. hallische Monatsschrift f. Literatur I. 1850. p. 385 sq. Adversarius solus *Ed. Gerhard*, qui de carmine Ihaletico sapienter dubitavit. v. Archaeol. Anzeiger. 1849, N. 11. p. 107.

12) Stor. di Sard. ed. 1835 I. p. 248.

ficum Romanorum in Sardinia imperium, quod de ficta Ludovici donatione quondam duci solebat, quando ac quomodo exortum esset, postea ignorabatur; nunc vero docemur, a legatis illis, quos a Nicolao I ad emendandos pessimos iudicum mores in Sardiniam missos esse refert Anastasius, iudices ipsos in deditionem Romanam esse acceptos. Denique mirifice solvitur quaestio illa de bellis Museticis mota. Neque enim solum omnes, quas sera amplificatione enumeraverant Ranerius Sardus vel Roncionius, Museti incursiones apud scriptores Arboreenses nobis occurrunt, sed etiam id, quod pavide Mannus coniecerat[13]), a. 1050 bellum, si quod revera tum factum esset, contra alterum Musetum, stirpem illius, gestum esse, insigni ratione confirmatur. Quin etiam hanc eandem quaestionem, unusne an duo fuerint Museti, iam XV saeculo ab arbitris illis, quos in aula sua iudices Arboreenses tanquam societatem historicam[14]) instituerant, tractatam esse comperimus. Talibus vero ex rebus nostrum saeculum redolere nemo est, quin sentiat. Sed omnino ex documentis Arboreensibus proprium scientiarum, litterarum, artium cultum istis saeculis Sardos habuisse apparet, qualem nemo unquam fuisse suspicatus erat; qui florentissimus cultus domesticus postea ab Aragonensibus sicuti olim a Romanis oppressus ac deletus esse fingitur. Ecce vero inter reliquos Sardiniae poëtas amissos Tigellius quoque, cuius quidem opera etiamtum saeculo XIV in multis totius insulae coenobiis transscripta servabantur;[15]) postea ille ἄϊστος ἄπυστος ex hominum memoria evolavit, neque nos adhuc aliunde quidquam de eo noveramus, nisi Tigellium quendam, cantorem Sardum, Phameae nepotem, Ciceroni quondam inimicum[16])

[13]) ib. I. p. 279.

[14]) „Una commissione instituita sopra i transunti delle cronache“ ait P. Martini. — cf. Nuovi cod. d'Arb. pubbl. dal can. cav. S. A. Decastro: Breve storia del re Museto.

[15]) Teste di due cod. cartac. d'Arb. p. 27.

[16]) Cic. ep. ad fam. VII, 24, ad Att. XIII. 49, 50, 51.

familiaremque Caesari atque Octaviano Horatii tempore Romae obiisse.[17]) At nefarium istnm ridiculnmque tibiciuem fuisse magnum Sardiniae poëtam quis unquam somniabat? Quod quidem hoc modo erit expediendum. Duos enim habemus apud Horatium Tigellios, alterum Sardum illum, alterum Hermogenem Tigellium poëtam et ipsum quidem cantorem atque modulatorem, illi tamen, id quod evidenter liquet ex Horatio, superstitem.[18]) Hunc autem nequaquam Sardum fuisse apparet ex eo, quod Horatius, ad discernendum quidem ab altero utrumque, in eadem satira illum „Tigellium Sardum", huncce „Hermogenem" vocat.[19]) Iste vero Tigellius Sardus, Phameae nepos, apud quem Cicero quoque omne acerbitatis, qua Romani Sardos spernere solebant, virus evomuit[20]), minime aptus videbatur, quo tanquam patriae decore Sardi gloriarentur. Sed, sicuti nostratium quoque nonnulli antea fecerunt, ita mos est apud Sardos, ut duos illos Tigellios in nnam confundant personam, cui minus iuste putant ab Horatio illusum esse. Hinc igitur Tigellius ille poëta, qni usque ad saeculum XIV ab universis Sardiniae clericis transscribitur, legitur, celebratur, quem tamen reliquus orbis parum intellexisse, immo ne flocci quidem videtur fecisse. —

Sed iam restat, ut ad illud monumentum Arboreense breviter animum advertamus, quod omnium sine dubio dignissimum videtur memoratu, carmen dico de Ihaleti regis laudibus compositum, quod et a doctissimis viris defensum[21]) et

---

17) Hor. sat. I, 2. ab init., 3 vers. 3 sq.

18) De Sardo nisi l. c. non loquitur poëta, de Hermogene v. sat. I, 3, 129; 4, 72; 9, 25; 10, 80 et 90. 19) sat. I, 3, v. 3—4, v. 129.

20) v. ep. ad. fam. VII, 24 „Habes Sardos venales, alium alio nequiorem." Appellatur ibidem Tigellius „salaco", „homo pestilentior patria sua".

21) A della Marmora, Baudi de Vesme, Cavedoni bibl. Mutin. praef., I. F. Neigebaur, L. Ross, ut Petrum Martini et Ignatium Pillitu omittam. V. Martini st. d. inv. p. 30 et 31. — Econtra cf. egregium *Gerhardi* iudicium l. c.

Incipit carmen: „O quam felix et beata — nunc diceris Sardinia
Mediterranei maior — post Siciliam insula!"

ab ipsa academia Tanrincnsi tanqnam sincerum agnitum est.[22]) Carmen nostrum linguae metrique ratione haud alienum a rythmis illis popularibus, quales IX praecipue saeculo apud Francogallos vel apud Italos confici solebant[23]), antiquitate illos multo superat; nam qunm Saraccnorum nullam poëta mentionem faciat, aute secundum VIII saeculi lustrum eum scripsisse constat. Auctoris etsi non supercst autographum, vetus tamen repertum exemplar „Langobardicis", qnac vocantur, litteris saeculo VIII descriptum. Fabnla, quae isto rythmo continetur, haec est:[24]) „Imperante Iustiniano II Marcellus, Sardiniae praeses, Ansenio duce iuvante ipse regnum sibi vindicavit tyrannicaque crudelitate importune populum vexavit. Orta seditione ab Ihaleto Caralitano profligatns atqne occisus cst. Tum gratis animis Sardi Ihaletum cum tribns fratribus suis quatuor provinciarum iudices constitunnt — ipsi Ihaleto, qui Calaritanum iudicatnm rcgcndum accipit, indito nomine regio. Initium regni eins a. 687 factum. Exinde in posternm Sardinia ab omni Graecorum dominatione libera permansit." — Benvenutus Imolensis et Landinus ceterique divinae comoediae interpretes indicatuum originem a Pisanis duxere; Fara deinde iam saeculo IX iudices in Sardinia fuisse reperit; quatuorne vero iidemque ac postea XI saeculo iudicatus, an alii et, si alii, quot et quales fuissent, penitus ignorabatur. Nunc antem simplicissima ratione iste nodus gladio solutus est. Caralim, Arboream, Turrim, Galluram provincias, id quod ne minimo quidem tcstimonio adhuc indicatum erat, iam imperii Romani temporibus constitisse apparet. Tnm subito uno, ut ita dicam, die natali quatnor iudicatus ex istis provinciis nascuntur; adsunt quatuor fratres, a quibus posteri

22) V. P. Mart. stor. d. inv. in introductione, nec non Alberti d. Marm. et Petri Mart. dissertationes in: Memor. dell'acad. reale d. s. di Torino ser. 2. tom. 14, 15.

23) cf. Wattenbach: Dentschland's Geschichtsquellen p. 117. not. 2, 3.

24) Singula quaedam ex aliis quoque membranis Arboreensibus, in quibus de eadem re disseritur, adhibui.

iudices genus suum trahere possint; ac quum Caralitanos postea potentia praeter ceteros excelluisse constet, eosque primos regium nomen sumpsisse verisimile sit, a. 687 illam provinciam fortissimus ex fratribus optimeque de patria meritus administrandam subiisse statimque rex appellatus esse traditur.

Sed multo etiam maiora poëta noster canit. Neque enim rempublicam a iugo Byzantinorum liberatam esse plurimum eius interest: bellicam Ihaleti virtutem paucis tantum versibus laudat; Marcellum devictum atque necatum esse „inter plura non vult praetermittere!“ Econtra alias quasdam fratrum virtutes eximiis laudibus efferre non cessat. Etenim rythmo nostro docemur, Romanos veterem vernaculum litterarum cultum in Sardinia per vim atque industriam exstinguere conatos esse; dicuntur igitur illi

v. 114—116. „Inimici sapientum — et scientium literas,
„Quos omnino obscurabant — in noctis caligine
„Et obscuri desinebant.“ —

v. 124. „Omnium demum procurabant — obscurare ingenia.“ —

Depulsis igitur Romanis omnia pravorum, quibus patriam perversam cernunt, Sardi delent vitiorum vestigia; derogantur Romanorum

v. 150—151. „Publica acta, signa, lingua — in eorum odium,
„Scientiae libris vero exceptis — vel de hoc genere.“ —

Tum Ihaletus cum fratribus suis auream procreat litterarum Sardoarum aetatem. Resurgere iubet linguam Sardam — attamen, qui eo exsultat, poëta noster scribit latine! — neque vero quidquam antiquius habet, quam ut pristina patriae historia ex veteribus monumentis aut traditionibus restaurata denuo fulgeat in conspectu hominum. Itaque

v. 22—24. „Dictu illustris Ihaleti — sunt publice tradita
„Multa saxa literata — sive plumbi lamina,
„Multa quoque pretiosa — duplicata in silice.“ — cet.

Aperiuntur deinde arcana illa monumenta, quae „nuraghes" hodie appellari solent, inque iis non Phoeniciae, sed — ecqnis credet? — Aegyptiae artis reliquiae inveninntur:

v. 46—48. „Ecce quanta sunt inventa — in antiquis molibns
„Ab Agyptiis fabricatis — ex saxis ingentibus,
„Quae per fratres omnes fuerunt — perquisitae intrinsece!"

Ac tam fanstnm, etsi nondum XX anni erant elapsi, doctissimornm iudicum studia videntnr habuisse eventum, ut poëta noster optimum in carmine suo edere possit historiae atque antiquitatis Sardoae summarium. Prodennt ibi Tyrii, Sidonii, Iolaus, Sardus pater, inprimis vero, qnicunque temporibns Romanis floruere Sardi aut armis aut litteris insignes, ita tamen, ut singula quaeque, qnae parum perspicue a Cicerone, Justino, aliis tradita erant, clarissime nunc nobis explicentur. Tali modo et de Sardorum legatione ad Alexandrum Magnum missa[25]) et de M. Attio Balbo praetore Sardiniae pacatore[26]) certiores fimus. Nec deest in poëtarum numero Tigellius; quin etiam, qui carmen nostrnm interpretatus est, ipse gentili quodam homine „Pilito" vetustissimo poëta donatnr. Landatur Inoria quoque „poëtissa Caralitana", cuins qnidem nomini summo cnm dolore addit auctor:

v. 86. „O quam dura fuit amissio — de tuis carminibus!"

Sed perinde ac si praevidisset, carmen suum aliqnando lectum iri ab iis, quibus corpus illud inscriptionum Sardoarum ab Ihaleto collectarum prae manibus haud fnturum esset, sicca quadam diligentia ad fontes suos ubique provocat hocce fere modo:

v. 76—78. „Atque saxa qnae inveniuntur — et aënea lamina,
„Multae lapides et statuae — et signa marmorea
„Et paterae storiatae — de tuo magno nomine" —

v. 83. „De te scimus evidenter — laminis similibus." —

v. 91. „Uti constat manifeste — ex aëneis tabulis." —

---

25) Iustin. l. XII c. 13.

26) Morell. thesaur. numism. I. p. 37 edit. Amstelod.

v. 103. „Ut ex dictis documentis — novis constat certius."
v. 119. — — — — „ut ex inscriptionibus."

Sapienti sat! Ita enim nostro mehercule tempore academiae cuinslibet sodalis loqui solet, ac non VII saeculo popularis in Sardinia carminis auctor. Christianae vero religionis vestigia — mirum illa aetate! — frustra apud illum quaeres; qua re iam acre Lachmanni nostri ingenium vehementer offendebatur[27]). Denique rhythmifex noster illam quoque quaestionem dissolvit, cui inquirendae maximam semper Sardi operam dedere, hancce dico, utrumne ex duobus vernaculis ipsorum vestimentis, „bestepeddi" an „collctu" mastruca a Romanis appellatum sit. Versu enim 170:

„Vos pastores mastrucati — pellibus lanigeris" —

id, quod Albertus della Marmora coniecerat, verum esse ex inopinato comprobatur. Nimia, nimia profecto dona nobis fert, qui Ihaleti laudes cecinit, multoque plura, quam quae impavido accipere animo possimus. Sed, quoniam, quae in rhythmo nostro de VII saeculo traduntur, toto coelo ea ab illius aetatis natura Sardiniaeque praecipue conditione abhorrere luce solis clarius videtur esse — alia nimirum opera, quam studia antiquaria, tum exhaustae quassataeque provinciae dominos manebant — quaeret fortasse quispiam, cur tandem de eiusmodi nugis serio potuerimus disputare. At docti nonne beneque aliter de rebus Sardois meriti viri apud Italos adulterinas esse istas membranas negant inque futurum negabunt? Nos vero sine ulla dubitatione tam rhythmum illum Ihaleticum quam reliqua monumenta Arboreensia, quorum unumquodque una cum altero aut stare aut corruere necesse est, adhibitis, auctis, exornatis, quae Mannus et ceteri de Sardinia conscripserunt, nostris diebus — quid non mortalia pectora cogis, historiae sacra fames! — ficta ac fabrefacta esse contendimus. Qua de causa nunquam infra rationem eorum habebimus.

27) cf. Gerhard. l. c.

CAPUT II.

De Sardinia ab omni terrae continentis vinculo soluta.

Maioris momenti nullam Sardinia experta est fatorum mutationem, quam quum Graecorum in ea dominationis finis fieret. Quod quidem neque ad certum annum referri potest, neque omnino uno videtur repentino casu accidisse. Etenim post Citonatum illum Sardiniae archiepiscopum, cui falso laesae maiestatis crimen impositum erat, in concilio VI oecumenico a Constantino Pogonato imperatore palam absolutum[1] a. 680–81.
nullum in posterum insulae nostrae Byzantino obedientis imperio exstat documentum; quanquam etiam extremis saeculi IX temporibus Corsica ac Sardinia iam dudum amissae c. a. 886–911.
tamen a Constantinopolitanis vana vindicatione in suarum numero provinciarum haberi solebant[2]. Violenta si seditione civili facta Sardi Graecorum dominationem excussissent, vix futurum fuisse puto, ut ab omnibus Byzantii scriptoribus silentio id praetermitteretur; itaque evanuisse magis ibi ineunte saeculo VIII imperium illorum iure dicemus; qua in cc. a. 700.
re nihil erit mirandum, si, quae interim in Africa gesta sint, in mentem nobis revocaverimus.

Etenim expugnata Carthagine universa brevi tempore, a. 697–98.
quae olim Romana fuerat, Africa iam paruit Omeîadis. Ac quum praeterea imperium Byzantinorum saevissimis intestinis tumultibus turbatum ab orientalibus suis partibus ipsaque urbe Constantinopoli creberrimos Saracenorum impetus aegre defenderet, fieri non potuit, quin Sardinia provincia amisso regimine Africano tanquam radicitus evulsa in perpetuum

1) v. Mansi XI. p. 682.

2) v. Notit. provinc. imp. orient. Leonis Philosophi aetate compositam, apud Schelstrat. ant. eccl. Rom. t. II. p. 689. Romae 1692; quo loco Gallia quoque nec minus Hispania ac Britannia quasi Graeci imperii provinciae afferuntur.

segregaretur ab imperio Graecorum. Quominus vero reliquis Italiae provinciis inncta servaretur, Musa ille ibn-Noseir prohibuit, clarissimus Hispaniae victor, qui primus maribus
a. 704. quoque bellum sacrum intulit. Tum Sardinia et Corsica ipsae, sicuti eadem aetate Sicilia ac Baleares, a classibus Africanis
a. 710. perfusae, vastatae, spoliatae sunt.[3]) Maximam a. 710 cla-
a. 730, 735, 752. dem Caralis accepit[4]); alias deinde invasiones a. 730, 735, 752 in Sardiniam factas esse Arabicorum annalium tradunt scriptores[5]); tamen multo saepius, unde haud parvam servorum praecipue praedam abstulerant, eodem Saracenos rediisse credendum est. Altera deinde VIII saeculi parte,
a. 752—800 cc. quo tempore omnino subsedit Arabici impetus imperii, a nostris quoque insulis Musulmani manus videntur abstinuisse. Sed prius etiam, quamvis illae afflictae ac direptae sint crebris istis incursionibus praedandi causa susceptis, occupatas tamen eas a Saracenis nunquam illo saeculo esse certo affirmare possumus[6]). Nimirum, quippe quibus prostrata pateret

---

[3]) Arabicae linguae ipse expers. uti coactus sum editionibus latinis: Abulfedae, Nowairii ceteror. a Gregorio datis (rer. Arab. collect.) francogallicis: Ebn-Khaldûn, Ibn-ol-Athîr; edd. Noël de Vergers: hist. do l'Afrique etc. Paris 1841.

Dsehebi, Lebîdi, alios arcessivi ex egregia Michaëlis Amarii: storia dei Musulmani di Sicilia Flor. 1854, 58. Adiumento fuere: Rer. ab Arabb. in Italia insulisque adiac. Sicilia max. Sardinia atq. Corsica, gest. commentarii Lps. 1845 scr. I. G. Wenrich, qui tamen parum critice nonnunquam videtur congessisse materiam. Prorsus inutilis Petri Martini liber (storia delle invasioni cet.) Arboreensibus semper membranis innisus.

[4]) Recte Amarius (I. p. 170) quae a Nowairio atque Ibn-el-Athîr narrantur, ad caput Sardiniae pertinere censet.

[5]) v. Amari I. p. 173, 183. — Ebn-Khaldûn ap. Noël de Vergers p. 44.

[6]) Praetereundo solum Arabes insulas nostras tum aggressos esse, diserte ab ipsis scriptoribus Arabicis narratur. Quare totam istam fabulam popularem de quinque Corsicae regibus Saracenis ac de Hugone Colonna comite eiusque successoribus confictam iterum refutare supervacaneum duco. V. Reinaud. invas. des Sarr. en France p. 69; Wenrich comm. p. 60 not 56; cf. Cambiagi. istor. d. Cors. p. 41 sq. Primus fictionem illam nobis composuit Giovanni della Grossa apud Filippini hist. Corsic. l. II.

Hispania, Gallia succubitura videretur, proposita iaceret amoena Sicilia, parum eos Sardoa vel Corsicana domicilia allicere debebant.

Harum vero insularum, quae superioribus saeculis eandem semper fortunam sustinuerant iisdemque paruerant dominis, inde a saeculo VIII diversis utraque casibus afflicta atque ab altera ad tempus disiuncta est. Nam in Sardinia confestim a Graecorum discessu, sicuti infra monstrabimus, intestina gignitur iudicum potestas; ac perperam eo, quod Liutprandus Langobardorum rex ossa s. Augustini, quae olim ex Africa in Sardiniam fuerant translata, magno pretio dato iterum barbarorum vastationibus erepta Ticinum honorifice cc. a. 722.
apportari iussit[7]), adducti sunt nonnulli, ut illum armis Sardiniam ingressum cum Saracenis proelia contulisse insulamque occupasse opinarentur[8]). At Corsicam aut a Liutprando aut a successoribus eius Langobardis quodammodo subiectam fuisse constat. Testis enim est Hadrianus I papa in epistola, quam a. 777 ad Carolum M. dedit, postulans, ut praeter alia a. 777.
b. Petri patrimonia Corsicana quoque per nefandam gentem Langobardorum ablata restituerentur[9]). Quod discrimen, quanti in posterum momenti fuerit, per se intelligi licet. Etenim Corsica pariter ac reliquae Langobardorum quondam provinciae in potestatem cessit Caroli M., contra Sardinia ob hanc ipsam causam, quia ab illis expugnata non fuerat, neque Carolorum neque Ottonum imperio unquam fuit obnoxia.

Atque hoc quidem perlucide apparet ex iis, quae Fran-

7) Paul. Diac. h. Lang. VI, 48; Beda de VI aett. ed. Stephenson II. p. 204. Annus translationis incertus; cf. Murator. ann. ad a. 722.

8) Refert quidem Benedicti chron.: M. G. Sc. III. p. 710: „Liuprandus rex Lang. fecit pugna cum Avarorum gens in Aquilegii partibus et conculcavit Aquilegia et Benetia nec non Sardinia insula et Corsica et ampliavit regnum Langobardorum." — Sed quis soli, dum de hoc tempore agitur, crederet Benedicto? Quanquam de Corsica fortasse recte. Ex ipsa vero s. corporis *emptione*, quod aliunde certissimum, Sardiniam minime tum Liutprando paruisse apparet.

9) J. 1854.

cc. a. 805 — 828. corum imperii annales de bellis Saracenicis ineunte saeculo IX gestis memoriae produnt[10]). Tunc enim denuo acriore etiam studio Saraceni in bellum maritimum sese coniecere. Qua in re quanquam ne Aghlabitae quidem aut Edrisitae cessabant[11]), summo tamen cum ardore Cordubenses Omeîadas videmus dimicasse, quos eodem tempore in septentrionalibus Hispaniae partibus cum Francis bellasse notum est. Hi enim classibus paratis quotannis paene incursionibus per prima illius saeculi lustra Corsicam et Sardiniam aggressi sunt. Sed hae incursiones, nisi quod praedas facere nonnunquam iis licuit, revera omni carebant eventu, partim quia principes Arabum arma sua iungere negligebant, partim quia tum a Christianis fortiter iis resistebatur. Accidit autem, ut multo maius hostes detrimentum intulerint Corsicae quam Sardiniae. Sardi enim, qui abhinc paene C annos ipsi rempublicam suam domi militiaeque sui iuris administraverant, tunc quoque suis viribus domesticisque ducibus usi fortissime hostes repulerunt; contra Corsi ad imperium confugere coacti, quibus annis nullo Francorum praesidio tegebantur, saevissimas perpessi sunt depraedationes. Itaque quamdiu Carolus imperator, Pippinus Italiae rex, Wala Bernhardi adulescentis consiliarius per intervalla tantum bello operam dabant, secure degere ista provincia nequibat; ubi vero Ludovicus Pius
cc. a. 822(?) postea Bonifacium (II.) comitem Lucensem Corsicae praefecit[12]), qui tam prope moratus melius custodiam illius suscipere posset, prosperius res videtur processisse; praesertim
a. 825. quum simul a Lothario I ratio expeditionum Corsicanarum

10) V. Einhardi ann. ad a. 806, 807, 809, 810, 812, 813, 815, 820, 828 (M. G. Sc. I) cf. Ibn-el-Athîr ad a. heg. 206 (821 iun. 5—822 mai 22) v. Amari. I p. 226. not. Cf. Leonis III. ep. ad Carol. M. d. d. 813 nov. 11. J. 1928.

11) Einh. ann. ad a. 812; Ibn-el-Athîr l. c. Amari p. 226.

12) Einh. ad a. 828: „Bonifacius comes, cui tutela Corsicae insulae tunc erat commissa". Vita Hludow. imp. M. G. Sc. II. p. 632. ad a. 828. „Bonifacius comes ab imperatore Corsicae praefectus". Cf. Muratori. ann. ad a. 823, 828.

accurate esset ordinata[13]). Tamque egregie Bonifacius comes hoc officio functus est, ut a. 828, quia nullos in istis maribus piratas invenit, ipsam Africam inaudita ingressus audacia maximum Saracenis terrorem iniecerit, qui proximis annis insulas nostras ideo videntur tangere non ausi esse. Qua in expeditione ille per „aliquos itineris marini gnaros homines" adiutus esse dicitur, „quos ex Sardorum sibi amicorum insula sibi adsumpsisset"[14]). Recte sine dubio his verbis exprimitur conditio, qua Sardinia tum cum imperio iungebatur. Quanquam enim comiti imperii Corsicae solius custodia mandata erat, tamen eo ipso vicina Sardinia maiore fruebatur securitate. Quin etiam minore illo, quod Carolus M. Corsicae praestitit, subsidio gaudere debebat Sardinia. Qua de causa iam a. 815 illo mortuo cives Caralitani legatos ad Ludovicum miserunt dona ferentes[15]). Hac autem legatione minime Sardos Francorum ditioni insulam suam tradidisse censemus; gratias potius agentes beneficii, quod a patre acceperant, a filio eos rogasse credendum est, ne ipse illas Christianorum partes ab infidelibus tam atrociter lacessi pateretur. Nam qui aliter de hac re iudicant, certum prius velim testimonium Francorum in Sardinia imperii afferant. Fit deinde etiam in constitutionibus Olonnae a. 823 a Lothario I. datis mentio Corsicae; huc enim criminis cuiusdam reos relegari iubet imperator[16]); Sardiniam, quae Romanorum Vandalorumque temporibus maxime semper locum praebuerat exsilii, ab imperio suo alienam nominare nequit Lotharius.

a. 828. a. 815. a. 823.

13) Edictum de expeditione Corsicana. Maringi in palatio 825 feb. 20. M. G. leg. I. p. 242.

14) Etiamsi hic auctor vitae Hludowici simplicem Einhardi narrationem sua sponte auxerit, tamen ipse certe conditionis, quae inter Sardiniam et imperium intercessit, non fuit nescius: itaque nostro iure eius testimonio uti poterimus. — V. de Bonifacii expeditione Lebîdi ap. Amar. I. p. 277.

15) Einh. ad a. 815.

16) Hlotharii I. imp. constit. Olonn. 4. M. G. leg. I p. 232, 234; vetantur hoc loco „adnnationes".

At iam tempus videtur esse ad famosam illam donationum quaestionem accedendi, qua omnium maxime propositum nostrum attingi necesse est. Ac primum quidem de Corsica disserendum esse puto. Ibi, sicuti ubique in cunctis, quas occupaverant Langobardi, provinciis, patrimonia sua ecclesia Romana eaque uberrima sibi erepta lugebat. Everso autem regno Langobardico pontifices Romani opportunam non solum amissa recuperandi sibi videbantur nacti esse occasionem, sed etiam ipsas regiones, in quibus ecclesiae patrimonia sita fuerant, neglectis Graecorum iuribus sibi acquirere studebant, licet tum quidem nondum liberam ab imperio Francorum rempublicam, sed maximam tantum in ipso imperio immunitatem constituere possent[17]). Ac quod ad Corsicam nostram attinet, tanquam gravissimo monumento utendum est illa, de qua iam supra locuti sumus epistola Ha-
a. 777. driani I a. 777 ad Carolum regem Francorum et Langobardorum atque patricium Romanorum data memoratu multis de causis dignissima[18]). Primum enim papa in ea Carolum admonet, ut Constantini M. imperatoris exemplum sequatur, „cuius largitate Romana ecclesia elevata atque exaltata sit, ut omnes gentes novum, qui istis temporibus surrexerit, Constantinum imperatorem laudare possint“. Deinde haec addit: „Sed et cuncta alia, quae per diversos imperatores, patricios etiam et alios in partibus Tusciae Spoleto seu Benevento atque Corsica simul et Sabinensi patrimonio b. Petro concessa sunt et per nefandam gentem Langobardorum ablata, restituantur; unde et plures donationes in sacro nostro scrinio Lateranensi reconditas direximus“. Haec ille; ego vero haud alienum duco statim cum his verbis comparare
(a. 1091. iun. 28.) ea, quae postea Urbanus II papa dicit in privilegio, quo Pisanos episcopos Romanae sedis in Corsica vicarios in perpetuum constituit[19]). „Quum omnes insulae“, inquit, „secun-

17) Cf. Sugenheim. Gesch. d. Entstehung des Kirchenstaats c. I p. 46.
18) J. 1854. 19) J. 4066.

dum statuta legalia iuris publici habeantur, constat etiam eas religiosi imperatoris Constantini liberalitate ac privilegio in b. Petri vicariorumque eius ius proprium esse collatas". Habemus igitur hoc loco perfectam donationis Constantinae doctrinam, cuius principalia semina illis Hadriani verbis sparsa videmus. Quantum distant parva illa initia ab XI XII. que saeculi opinione, qua „coronam omnemque regiam dignitatem in urbe Romana et in Italia et in partibus occidentalibus Apostolico a Constantino traditam esse" contendebatur[20]). Contra Hadrianus quid ipse cogitat de Constantino? Donationes quasdam ab eo ecclesiae Romanae factas esse affirmat, sed adeo non universam imperii partem occidentalem iis contineri arbitratur, ut ipse plurima alia dona ibidem sequentium imperatorum patriciorumque munificentia accessisse dicat. Tabulae vero istae Laterani reconditae, quibus iure se postulare illa patrimonia papa monstrare studet, utrum sincerae an fictae vel corruptae fuerint, inquirere nec possumus nec volumus; hoc autem permagni nostra interest, illis solis connisum Hadrianum petere, ut Corsicana patrimonia sedi apostolicae restituerentur. Qua ex re concludendum esse censeo, nequaquam ante id tempus totam insulam aut a Pippino aut a Carolo ipso ecclesiae Romanae donatam, immo ne promissam quidem fuisse. Nam si ab illis spem totius Corsicae possidendae esset adeptus, cur partes quasdam eius tunc solas papa reposceret? Alias semper promissorum Carolum admonet;[21]) hic sollemnem Corsicae donationem ab ipso Carolo tribus annis ante factam alto eum texisse arbitraris silentio? Apparet igitur ex hac quoque re, id quod sexcentis praeterea causis certissimum est, quae apud Anastasium de magna Caroli donatione a. 774 (apr. 6) Romae in ecclesia b. a. 774.
Petri facta narrantur[22]), falsa ea esse vel magnopere inter- apr. 6.

[20]) Decr. Grat. d. 96 c. 13.

[21]) V. ex. gr. ep. eiusd. Hadr. de a. 781 (J. 1862) qua Carolum orat, ut, quo b. Petrum donaverit, territorium Sabinense sibi tradat.

[22]) Vit. Hadr. ed. Blanchini. sect. 318: „a Lunis cum insula Corsica" cet. Jaffé p. 205 ad. d. 6 apr. 774.

polata; insulamque Corsicam, quam aperte nominat auctor
a. 754. vitae Hadriani, neque tum Romae a Carolo neque antea a
apr. 14. Pippino Carisiaci[23]) s. sedi fuisse concessam.
a. 777. Neque tamen frustra a. 777 Hadrianus imperatorem pre-
a. 808. cibus videtur adiisse. Etenim eidem Carolo Augusto a. 808 scribit Leo III:[24]) „De autem insula Corsica, unde et in scriptis et per missos vestros nobis emisistis, in vestrum arbitrium et dispositum committimus, atque in ore posuimus Helmengaudi comitis, ut vestra donatio semper firma et stabilis permaneat et ab insidiis inimicorum tuta persistat." Ex his verbis apparet, aliquam donationem, quae ad Corsicam spectabat, tum a Carolo promissam esse, tamen totius insulae dominium ea contineri intelligere nequeo; magis inclinat animus, ut existimem ea, quae iam Hadrianus sibi vindicarat, ecclesiae Romanae patrimonia Corsicana saepius fortasse etiam a Leone monitum Carolum tunc temporis illi se restituturum confirmasse. Sed, quum eodem tempore ista insula perpetuis Saracenorum incursionibus vexaretur, magis imperatoris armis ei opus erat, quam auctoritate ecclesiastica; itaque suo iure Leo interim res Corsicanas „in arbitrium et dispositum Caroli commisit." Itemque Ludovicus et Lotharius, sicuti vidimus, suum esse putabant Corsicam ab hostibus defendere; neque ullum testimonium imperii in illa papae traditi reperire possumus.

Atque haec hactenus de Corsica; at de Sardinia nunquam, quantum nos scimus, pontifices cum Carolo aut successoribus eius egerunt; quod quidem per se apparet; nam nisi ab eo, qui id possidet, ut quidquam mihi donetur, petere nequeo. Atque hac re sola famosum illud Ludovici Pii diploma[25]) spurium esse demonstraretur, quo Paschali I inter alia maxima territoria „insulas quoque Corsicam, Sardiniam et Siciliam sub integritate cum omnibus adiacentibus, ac territoriis,

23) Vit. Hadr. l. c., vit. Steph. cf. Jaffé, p. 191 ad d. 14 apr. 754.
24) J. 1921. 25) M. G. leg. II B. p. 9.

maritimis, litoribus, portubus ad eas pertinentibus" concessisse dicitur. Quando autem hae et aliae fictitiae donationum tabulae fabricatae sint, quantique ad turbandam litem Sardoam postea fuerint momenti, suo loco exponemus.

Nunc autem, qualisnam revera Carolorum aetate Sardiniae status fuerit, referre nostrum est. Postea quidem Sardorum rempublicam per iudices administratam esse nemo est, qui nesciat. Constat vero a Nicolao I[26]) iudices Sardiniae a. 864.
„cum populo gubernationibus suis subiecto" castigatos esse, quia „incestas et illicitas contraherent copulas, velut temporibus d. Gregorii pp. IV facere consueverant." Huius igitur iam pontificis aetate, qui sedit inde ab 827 usque ad 844 a., a. 827—844.
complures iudices in insula nostra fuisse apparet. Ac certe Sardi magnas, quas ineunte saeculo IX de Saracenis reportarunt, victorias, quum nullum ab exteris gentibus ducem acciperent, non sine propriis magistratibus adipisci poterant. Atque omnino tantam provinciam suo arbitrio ab omnibus ceteris relictam statim suas ipsam sibi reipublicae formas instituisse necesse est. Quare non reiectum iri arbitramur, quod nos proponimus, iudicum principatum in Sardinia ab ipso Graecorum imperio exordium duxisse. Quam ad rem non parvo adiumento utendum putamus ipso nomine. Ultimis enim Byzantinorum temporibus, uti iam supra diximus, praeses Sardiniae haud secus atque reliquarum praesides provinciarum appellabatur „iudex Sardiniae", simulque minoribus, qui illi parebant, magistratibus „iudicum" nomen dari solebat.[27]) Neque vero ita Romanorum imperium in insula nostra exstinctum est, ut exterae gentes, sicuti alibi Germani facere consuerant, terrae bello expugnatae novas vivendi rationes importaverint; derelictam potius a Graecis Sardiniam videmus, quam ereptam ipsis esse. Quum igitur adversus acerrimos Saracenorum impetus forti opus esset imperio, tum quo

26) Vit. Nicol. I. ed. Blanchin. p. 204. J. 2094.

27) Cf. qq. Hegel, I. p. 224.

alio melius, quaeso, titulo indigenae, qui mox exstitere, Sardorum duces sese induerent, quam invcterato iudicum nomine, quocum ipsos fasces Romanos a Graecis abiectos recipere ac sustinere sibi videbantur? Complures autem hinc illinc surrexisse iudices, si diversos insulae pagos parum apte inter se coniunctos turbidique saeculi necessitates in animum tibi revocaveris, nullo modo erit mirandum. Certum tamen iudicatuum numerum ante Pisanam invasionem constitutum indicare non possumus. Neque de intestina reipublicae forma ante saeculum XI certi quidquam afferri licet. Ex rudi vero insulae statu lentoque solitariae terrae progressu sequi videtur etiam saeculo X, IX, VIII iudicatuum leges atque instituta a posterioribus aetatibus haud multum discrepuisse. —

Reliquum est, ut, quomodo sedis Romanae in Sardinia conditio istis, quas narravimus, rebus affecta sit, paucis consideremus. Ecclesiastica quidem eius potestas ipsis ibidem Saracenorum incursionibus servata est; amisso enim hac re insulae nostrae imperio Graeci, quo minus pari modo ac Siciliam vel Calabriam orta lite iconoclastica illam quoque segregarent a dioecesi Romana, prohibebantur. Quo factum est, ut in omne reliquum tempus Sardi catholicae Romanae ecclesiae fidei adhaerescerent, qua re posterioribus saeculis etiam reipublicae Sardorum iudicii sui interponendi facultatem nacti sunt pontifices Romani. Neque tamen mirandum erit,
cc. a. 890. a Byzantinis etiam exeunte saeculo IX, sicuti imperii sui quasi provinciam eos Sardiniam vidimus afferentes, ita episcopos quoque Sardos orientali adscriptos esse ecclesiae[28]). Patrimonia vero, quae sedes apostolica in Sardinia habuerat, utrum magnis saeculi VIII tumultibus amissa sint necne, ullo

28) V. notit. episcopat. Graec. Leonis Philosophi aetate (a. 886—911) conscript. apud Georg. Codinum metrop.: de officiis magnae ecclesiae et aulae Constantinopolitanae ed. Iacob. Goar. Venet. 1729 ad calc. p. 304—5. Enumerantur eodem loco plurimi episcopatus Africani, re vera iamdiu a Saracenis sublati.

nuntio carentes diiudicare nequimus. Plane deinde mutata
Pippini Carolique donationibus Romanae sedis conditione
facile pontifices ipsis Sardiniae ecclesiis fundos istos permit-
tere potuerunt; atque aliud quidem multa maius postea pro-
positum consequi eos studuisse videbimus, summum scilicet
totius insulae imperium. Quanquam illis temporibus eius-
modi nihil eos temptasse constat; VIII enim saeculo ne illam
quidem, qua Gregorius I usus erat, inspiciendi corrigendique
consuetudinem, quum ipsi in Italia undique a Langobardis
premerentur, adversus novos Sardiniae dominos ulterius ex-
ercere poterant. Tum, modo ne tot aliis ubique imminentibus
novae in Sardinia adderentur difficultates, papae satis du-
cere debebant. Quo factum est, ut ab omni alieno imperio
solutus Sardorum populus paulatim assurgeret tantamque
bellis ineunte saeculo IX feliciter gestis virtutis suae opinio-
nem ceteris gentibus praeberet, ut mox ipse pontifex Romanus
auxilium ab eo implorare statueret. Itaque prima, quae ad iudi-
cem quendam data exstat, epistola Leonem IV tanquam sup-
plicem ad illum accedentem monstrat. Ad quod faciendum
maximo adductus est periculo, quod denuo a Saracenis uni-
versae imminebat Italiae. Expugnata enim ab illis Sicilia a. 827-32.
statim Gregorius IV necessarium praevidens rerum eventum
Ostiam novis munimentis circumdari iussit[29]; qua re tamen
prohiberi non poterant Arabes, ne a. 846 ipsam Romam ad- a. 846.
orti s. apostolorum templa extra muros sita diriperent[30].
Quumque interea etiam in Apulia ac provincia Beneventana ab a. cc.
Arabes Siculi sedes fixissent, simulque Ancona ad superum, 840. a. 839,
Luna ad inferum mare sita ab iisdem hostibus infidelibus a. 849.
vastarentur, iamiam ipse Christiani orbis umbilicus undique
circumventus extremae perniciei traditus esse videbatur.
Itaque ex eo potissimum tempore pontifices maximi tanquam
e somno securitatis expergefacti ipsi tandem magno bello

29) Vit. Greg. IV. sect. 476.
30) Vit. Leon. IV. p. 360, 367, 386 ed. Blanch.

Saracenico, cuius postea semper principatum tenuere, duces se offerre incipiebant. Ac primum quidem defendendo tantum curam adhibere necesse erat. Quod negotium Leo IV. summa subiit diligentia atque alacritate. Nam non solum veteres urbis Romae muros reficiendos curavit s. que Petri
a.848—52. basilicam firmissima circumvallatione circumdedit[31]), sed etiam, id quod magis erat necessarium, Tiberis ostium turre in utraque ripa erecta ferreis clausit catenis. Atque hoc loco
a. 849. a. 849 magna Saracenorum classis Romam iterum petens et virtute Italicorum ventique opportunitate repulsa est[32]). Tum fieri non potuit, quin in nostras quoque insulas rursus illa pestis immitteretur. Ac Corsicam quidem ineunte eodem saeculo solis imperii Francorum armis servatam esse vidimus. Tunc vero, quum interea Carolorum negligentia navales imperii copiae plane essent collapsae, ista insula tristissima calamitate affecta tanta premebatur hostium saevitia,
c. a. 852. ut c. a. 852 magna incolarum multitudo patria relicta ad sedem Romanam confugeret. Desertos ab imperio papa benigne recepit redintegratamque civitatem Portuensem iis colendam tradidit eo pacto, ut in perpetuo sui successorumque suorum obsequio ac servitio permanerent[33]). At Sardinia, quam et ipsam eadem aetate ab Arabibus offensam esse manifestum est,[34]) adeo non alieno indigebat subsidio, ut ipsa externos adiutura esse videretur. Exstat enim fragmentum epistolae eodem fere tempore a Leone ad iudicem quendam Sardiniae datae hisce verbis compositum: „Celsitudinem vestram duximus obsecrandam, ut nobis, quantos tua praeviderit magnificentia armatos, sive pueros, sive adultos ac iuvenes cum armis suis mandare dignemini, qui nobis quotidiana iussa possint explere“[35]). En socii rogantis, ac non imperantis do-

---

31) ib. p. 380. 32) Ib. p. 373. 33) Ib. sect. 537—39.

34) Classis illa Saracenorum, quae a. 849 Portum advecta est, e loco, qui Torarum dicebatur, „iuxta insulam Sardiniam“ profecta esse traditur. vit. Leon. p. 373.

35) J. 2002.

mini sermo. Quod autem ad pueros attinet, quos papa sibi mitti vult, fortasse ad aedificandam urbem Leoninam, quamobrem undique ex ducatu Romano homines convocarat, illis quoque uti in animo habebat.[36]) Neque vero est, cur dubitemus, quin Sardi roganti papae morem gesserint. Etenim ex illo tempore „vicus Sardorum" nobis occurrit, „milliario ab urbe Roma trigesimo" situs, qui ab illis auxiliis Sardois a Leone advocatis originem videtur duxisse.[37]) Ecclesiasticum vero pontificum imperium a iudicibus Sardiniae agnitum esse alterius epistolae a Leone conscriptae fragmento demonstratur, quo, „quae nova iudex quidem petierat, tanquam patrum censurae synodicisque paginis repugnantia" papa reiicit.[38]) Neque multo post Nicolaus I, censor ille regum, a. 864. Sardiniae quoque iudicum populorumque mores a cultu Christiano magnopere abhorrentes emendare conatus est. Matrimoniales enim praecipue res barbarorum modo semper a Sardis tractatas esse constat, ita ut etiam exeunte saeculo XI Constantinus iudex Calaritanus, quum pacem faceret cum ecclesia Romana,[39]) pessimas, quas se abiecturum polliceretur, antecessorum suorum aliorumque principum Sardiniae consuetudines enumeraret: „concubinas, homicidium, consanguinitatem." Consanguinitatis vero scelere certe nihil aliud significari putandum est, nisi „copulae illae incestae atque illicitae," quas „cum proximis et sanguinis sui propinquis" iam Gregorii IV et Nicolai I temporibus iudices contrahere solebant. Qua re commotus Nicolaus per litteras et legatos anathematis etiam poenam resistentibus minatus a tanto errore illos revocandos suscepit.[40]) Qua ex re ullum pontificis dominium in Sardinia politicum sequi negandum

36) Recte hoc coniicere mihi videtur Tola. C. D. S. diss. I. p. 119 not. 2.
37) Vit. Leon. passim; hanc quoque coniecturam a Tola accepimus. (l. c.)
38) J. 2001.
39) C. D. S. s. XI. 20.
40) Vit. Nicol. ed. Blanch. sect. 603. J. 2094.

est;[41]) an Lotharingiam putas subiectam fuisse Nicolao, quia Lotharium simili de causa in iudicium ab eo vocatum esse notum est?

Expeditiorem forte sequentibus temporibus Sardiniae Corsicaeque historiam fore sperares; at quum adhuc paucis tantum scriptorum testimoniis adiuti essemus, in posterum paene omnes nuntii nos deficiunt. Quo factum est, ut de illo temporis spatio a medio IX usque ad initium XI saeculi doctissimus quisque nostratium, qui insularum illarum fata tetigerint, magno versaretur in errore. Ac cum Henrico Leone[42]), qui Sardiniam usque ad a. 865 Graecis subiectam fuisse, primos vero iudices a Pisanis demum a. 1022 constitutos esse existimat, rerumque Corsarum Cambiagium solum ducem sibi eligit, ulterius non pugnandum esse censeo. Sed etiam Giesebertus in clarissimo libro suo[43]) utramque insulam medio saeculo IX Saracenis deditam Fatemitas postea dominos agnovisse dicit; Adalbertum igitur a Saracenis in Corsica auxilium petiisse putat; victoque Museto longissimae Arabum dominationis tandem in Sardinia finem factum videtur existimare. Quibus in rebus Wenricum[44]) maxime secutus est, qui et ipse Corsicam c. a. 850 totam ab infidelibus occupatam ac tandem post liberatam Sardiniam a Christianis recuperatam esse censet, utramque vero per totum saeculum X Saracenis paruisse arbitratur. At nos quidem accurate facto examine a tali opinione plane dissideamus oportet. Sardiniam a. 1016 a Pisanis et Genuensibus Museto Saracenorum principi ereptam esse constat; sed eundem Musetum brevi ante ex Hispania profectum armorum vi istam insulam expugnasse haud minus certum est. Antea autem unquam

[Margin notes: a. 850—1000 cc. · a. 865. · a. 1022. · a. 963–65. · c. a. 850. · a. 1016.]

---

41) Membranarum Arboreensium fabricator ex illa Nicolai legatione summum ecclesiae Romanae in Sardinia imperium originem duxisse finxit.

42) H. Leo, Geschichte von Italien I. p. 374—76, p. 492 sq.,

43) W. Giesebrecht, Gesch. der deutschen Kaiserzeit. ed. II. t. I. p. 155, 462 sq., 500, 821, 825; t. II. 174, 599.

44) Rer. ab. Arabb. gest. comm. c. 13, c. 20.

Arabes ibidem sedes fixisse ne minimo quidem aut occidentalium aut Arabicorum scriptorum testimonio probare posses. Etiamtum a. 864 iudices in Sardinia floruisse vidimus. Prima deinde, de qua certiores fimus, Saracenorum invasio facta est a. 935. Nam tum magna eorum classis a Fatemitis, qui nuper Aghlabitas regno spoliaverant, adversus Genuenses missa deleta Genua in Africam rediens insulam nostram afflixit multasque in portubus eius Sardorum naves combussit. Quo facto in Africam salvi hostes reversi sunt[45]. Hoc vero bellum inter Fatemitas et Arabes Sardiniae dominos gestum esse si quis contendit[46], mero suo is niti videtur arbitrio. Neque enim huiusmodi quidquam apud scriptores invenies. Affirmat contra aperte ipse Ibn-el-Athîr illo temporis spatio inde a 752 usque ad 935 a. „Rûm" i. e. Italicos homines Sardiniam tenuisse[47]. Sed sicuti priores omnes, ita etiam istam incursionem a. 935 factam nihil aliud fuisse constat nisi repentinum praedonum impetum, itaque ante Musetum ne hiemasse quidem in Sardinia Saracenos ullo documento demonstrari potest.

a. 864.

a. 935.

a. 752—935.

a. 935.

Ac iam ad Corsicam accedamus, quam multo maiores semper clades ab Arabibus accepisse ipsi supra exposuimus. Magnaque illa Corsorum fuga Leonis IV tempore in Italiam facta plerique videntur adducti esse, ut hancce insulam tunc totam a Saracenis occupatam esse existimarent. Sed istos epistolae a Stephano VI conscriptae fragmentum videtur fugisse, qua ille Sigeberto Corsicano cuidam episcopo, quod captus a Saracenis hominem interfecerit, ignoscit[48]. Patet igitur exeunte saeculo IX pugnatum quidem in Corsica esse

c. a. 852.

a. 885–91.

45) Liudpr. antap. IV. cp. 5. M. G. Sc. III. p. 316; — Abulfedae ann. p. 80, Chron. Cantabrig. p. 46, Nowair. p. 14. apud Gregorium. Ebn-Khaldûn p. 162 ap. Noël-de-Vergers; Dsehebi apud Amari. II. p. 179—80. — Fabulam illam de victoria Genuensium fictam Jacobus de Voragine primus memoriae prodidit. Murat. Sc. IX. p. 10—11.

46) Leo, Geschichte von Italien I. p. 375. 47) V. Amari I. p. 184 not.

48) J. 2654.

cum Arabibus, remansisse tamen ibidem episcopos, quibuscum etiamtum consuetudinem quandam sedes Romana su-
a. 935. stinuerat. Nec secus atque Sardinia postea a. 935 Corsica
ab eadem Fatemitarum classe spoliata est[49]). At certe Adal-
a. 963–65 bertus a. 963—65 ter in Corsicam ad Saracenos confugit?[50])
In Corsicam recte; id enim refert continuator Reginonis[51]); de Saracenis nihil invenio. Neque vero ego ignoro, iam antea Adalbertum, id quod tradit Liudprandus[52]), Fraxinetanos adiisse Saracenos; non tamen Saracenorum commotum amore, sed quia tutum ab imperatoris vindicta locum quaereret; atque eadem profecto frui ei licebat securitate apud Corsos
a. 996. Christianos. Adde quod a. 996 Otto III imperator petente Hugone M. marchione Tusciae monasterio d. Salvatoris haud procul a Luca ad lacum Sexti[53]) sito praeter alias etiam Corsicanas eius possessiones confirmavit[54]). Quid, quaeso, haec ad provinciam Saracenorum? Sed fingas velim hos per saeculum X Corsicam obtinuisse, quando tandem illinc eos expulsos esse arbitraris? Musetum ex Sardinia Pisanorum Genuensiumque virtute eiectum diligenter annalistae notarunt ac, quanta eius rei fama in ora hominum abierit, e posteriorum saeculorum traditionibus intelligere licet. Corsicam vero simul liberatam omnino obliti esse Itali videntur; nam quae re vera exstitere fabulae, iis simulati soli heroës Hugo Colonna et Hadumarus comes celebrabantur. Hunc Genuenses, illum

---

49) Dsehebi ap. Amari II. p. 180.

50) Giesebrecht I. p. 462 sq.

51) M. G. Sc. I. p. 625: „Adalbertus Corsicam ibi se tueri nitens intravit". ib.: „a. 963. Adalbertus vero in Corsicam revertitur".

„a. 964. Duodo palatii capellanus ab Adalberto comprehenditur et flagellis caesus in Corsicam deducitur, sed non longo post tempore dimittitur".

Cf. Chron. Salern. M. G. Sc. III. p. 554: „a. 964. Adelbertus cum suis germanis paucisque suis fidelibus fugam iniit atque in insulam Corsecam venit".

52) Hist. Ott. c. 4.; M. G. Sc. III. p. 340. 53) Hodie: „lago di Bientina".

54) Stumpf: reg. imp. Sax. 1087. „Infra insulam Corsicam" i. e. in insula Corsica; nam in eodem diplomate legitur: „tam infra civitatem Luccam, quam et de foris".

inimici eorum saeculo IX Corsicam Christianorum imperio reddidisse volebant. De bellis XI saeculo factis nulla historia, nulla traditio; tum sine turbis, credo, sine tumultu omnia transacta sunt; sua sponte quasi silentio Pisanis insulam hostes tradidere. Sed hoc etiam mirandum esse puto omnino integram cultus Arabici Corsicam mansisse. Musetus statim subacta Sardinia oppida exstruere coepit; alios Saracenos utriusque insulae diutius quam per totum saeculum dominos nulla morum institutorumque suorum vestigia ibi reliquisse existimas?[55]) At quid ultra? Ista enim nullo substructo fundamento per sese collabuntur.

At quaeret quispiam, quis tandem, si quidem Saracenos ibi non fuisse manifestum est, X saeculo insulas nostras tenuerit, vel qualemnam, ne omnino rasam manere patiamur tabulam, tum conditionem earum fuisse dicamus. Cui quidem paene nullum dare responsum nobis licebit; etenim plane nihil de hac re scriptores aut Italici aut alienigenae memoriae prodidere. Quam ob rem, quoniam ex ore scriptorum quidquam certi assequi nequimus, responsa nobis petenda sunt ex ipsorum silentio. Videntur igitur insulae nostrae illa aetate separatae ab omni continentis necessitudine tanquam singularis orbis suam propriam vitam degisse. Atque ut de imperio primum loquamur, Sardiniam etiam priorum tempore Carolorum ab illo alienam fuisse novimus. Postea vero qui fieri potuit, ut exorto magno de regno Italico certamine quisquam ex istis regulis, quum praesertim omnino negligerent res maritimas, ad transmarinas regiones manus porrigeret? Quin etiam ne Ottones quidem alias in Italia potentissimos, quoniam nullis pollebant copiis navalibus, res Sardoas unquam tangere potuisse apparet. Quamobrem per se patet,

---

55) Recte igitur Amarius II. p. 184 de insulis nostris: „Gli abitatori di quelle isole, poveri e valorosi, per due secoli si salvarono dal giogo degli Arabi, non dalle infestagioni; e rimasero privi dell' incivilmento musulmano non men che di quello, che si sviluppò in Italia".

iudicum familias, quales et Nicolai I tempore in Sardinia floruisse vidimus et postea XI saeculo ibidem regnantes reperiemus, interea quoque usque ad incursionem a Museto rege factam rempublicam Sardam sui iuris administrasse. Neque vero dissimilis iisdem fere de causis Corsicae sors illis temporibus fuisse putanda est. Etenim neglecti ab ultimis Carolis neque ullo exterorum auxilio magnis bellis Saracenicis adiuti, fieri non potuit, quin nobiles Corsi vel, quicunque in insula remanserant imperii vassalli, abomni illius oboedientia solverentur. Neque Ottones istam provinciam nnquam recuperare aut voluisse relatum est aut potuisse apparet. Quamobrem firmissimo loco sese tuiturus ad eandem maxime, ubi suo iure ab ulla imperatoris vindicta liberum se fore sperabat, confugit Adalbertus. Attamen nomine quidem etiamtum Corsicam ab Ottonibus in imperii sui provinciis dnctam esse ex eo concludendum est, quod, uti supra memoravimus,
a. 996. Otto III. Corsicanas qnoqne possessiones monasterio Sextensi confirmavit atque in enm, qui manus iis intulerit, poenam se constituturum minatus est. Neqne tamen veri mihi
a. 962. videtur simile Corsicam reapse ab Ottone I a. 962 Iohanni VIII donatam esse. Diploma enim, quo ad id monstrandum nituntnr homines papistici, snppositum esse plurimis rationibus doctissimi viri probavere[56]). Corsicae qnidem nomen,

[56]) Pertz, M. G. leg. II B. p. 159. Waitz, Jahrb. I, 3. p. 207 sq. Ex eo, quod Innocentius IV. in „privilegiis sedis apostolicae non corruptis, non cancellatis nec etiam vitiatis", quae a. 1245 a. d. III. id. iul. Lugduni accurate examinata ac probata transscribi iussit, primum idem illud donationis Ottonianae diploma collocandum curavit, hoc quidem apparet, „caeruleam istam membranam", quae usque ad hunc diem Romae abdita servatur, tum a papa atque a patribus tanquam vetustissimum sincerum documentum agnitum esse, minime vero nobis ea re incorrupta eius sinceritas probatur.

Quodsi vero Huillardus, qui optime nuper de apographis Lugdunensibus disseruit (v. Huillard-Bréholles: rouleaux de Cluny: notices et extraits des manuscrits do la bibl. imp. XXI, 2. 1865.) ad defendendum denuo illud Ottonis diploma locos eius premit vel alienos a paparum causa vel etiam commodo s. sedis adversos, confitendum quidem est, cum ipsis veri pacti verbis callide

quod nobis ibi occurrit, cum tota, in qua positum est, periodo[57]) ex interpolato vitae Hadriani loco, quo de Carisiacensi agitur donatione, illuc translatum est. Nos autem ad illam chartam aliasque eiusmodi similiter confictas infra redeamus oportebit. Ceterum, quoniam nec Gregorius VII neque Urbanus II, quum de Corsica sedi Romanae subiecta loquantur, ad Ottonem donatorem unquam provocant, posteri vero omnes re vera id facientes eadem illa tabula, qualis nunc exstat corrupta, sola nitantur, certi, quod proferamus, nihil habemus; diserte tunc de terra paene oblivione obruta actum esse minime credendum est; sed generali priorum donationum confirmatione tunc, uti videtur, ab Ottone facta Corsicam quoque contineri quodammodo dici poterat; alicuius enim possessionis Corsicanae a Carolo M. accipiendae Leonem III in spem venisse vidimus.

Ac quod attinet ad pontifices Romanos, ne ex illorum quidem epistolis quidquam illa aetate de Sardinia aut de Corsica cognoscere possumus. Ecclesiasticum quidem commercium exeunte saeculo IX inter utramque insulam et s. sedem viguisse vidimus. Constat autem, prinsquam Gregorius VII a. 1077 Corsos ad debitam ecclesiae Romanae a. 1077. oboedientiam revocavit, insulam eorum per plurimos annos „tam prolixitate spatiorum, quam negligentia pastorum, tam insolentia dominorum, quam Romanorum dissuetudine legatorum“ ab omni sedis apostolicae necessitudine seiunctam fuisse[58]). Quando vero maxime illa a summi pontificis observantia adeo abalienata sit, minime liquet; pedetentim id factum esse coniiciendum erit; atque hoc certe nemo est quin concedat, temporali quodam Corsicae imperio ante Gregorium VII nullum papam usum fuisse; immo ne temptasse

a falsario fictas ingentes donationes coniunctas esse, quum aliae tabulae adulterinae, e. g. Ludovici donatio, uno certe tenore conscriptae sint, nec tamen minorem ideo suspicionem movent inepta ipsa dona Ottoniana.

57) „A Lunis cum insula Corsica“ . . . cet.

58) V. J. 3789, 3791, 3827, 4066, 4078.

Digitized by Google

quidem eiusmodi quidquam illa aetate pontifices traditum est. Sardos vero, quos Museti regis tempore familiares s. Petro
a. 1015. fuisse scimus, X quoque saeculo spiritualem eius potestatem agnovisse non est, cur negemus; quanquam eius rei nulla exstant testimonia; nec minus politici paparnm in Sardinia imperii ante saeculum XI vestigia nulla reperies. Atque id quidem ex Benedicti VIII maxime aetate originem duxisse arbitramnr, qna de re seqnenti capite amplius erit disserendum. Prima saltem X saeculi parte ipsi pontifices civilibus Italiae turbis maxime implicati, qnum ne sui qnidem patrimonii vicini, immo ne urbis quidem firmam haberent potestatem, haudquaqnam id agere poterant, ut remotas provincias imperio suo adsciscerent.

Haec igitur tam pauca coniiciendo maximeque negando in ingentem illam Sardoae Corsicanaeque historiae lacunam immittere possumus. Sed iam reliquum est, ne quid inexpertum omittamus, ut breviter disseramns de nonnullis diplomatis, quae aut tacita aut aperta cum snspicione docti semper viri videntur contemplati esse. Est in mari infero parva insula, cui nomen Monti Christi, aeqno a Corsica atque a Tuscia distans intervallo, saxnm praernptum, cui panci nunc cymbas appellunt piscatores, attamen in montis cacumine dispersas invenies abbatiae ruinas. Hancce solitudinem priscis temporibus monachi sedem sibi elegere, quos iam
a. 591. Gregorins I a. 591 a dissolute vivendo revocare conatns est[59]). Postea „fratres s. Mamiliani de Monte Christi" diffusam fundorum possessionem in Corsica et in Sardinia nec minus in Elba ac Plumbini in partibus Tnsciae sibi compa-
a. 1118. rarunt, qnam Gelasius II a. 1118 ipsis confirmavit[60]). Mox autem mores eorum adeo praecipites ire incipiebant, nt C
a. 1216. fere annis post temptata iam ab Honorio III illius monasterii
a. 1231. reformatione tandem a Gregorio IX ipsum, „qnia totaliter erat depravatnm omnibusque monachorum vitiis defoedatum,"

59) J. 755. 60) J. 4898.

Digitized by Google

Camaldulensium ordini aggregaretur[61]. Huic igitur monasterio factarum in Corsica donationum documenta nonnulla in tabulario Pisani Camaldulensis coenobii s. Michaëlis asservata sunt, quorum partem primus Muratorius[62], reliqua deinde Mittarellius et Costadonius in lucem edidere[63]. Verum enim vero, quod magnopere dolendum, authentica nequaquam supersunt exemplaria; apographa tantum relata ab imperitis XIV saeculi notariis in Corsica maxime transscripta, qui quidem multa ex latino in vulgarem sui saeculi sermonem Italicum converterunt, chronologicas vero inprimis notas adeo pessumdedere, ut in tam impedito labyrintho de omni salute desperandum esse videatur. X autem saeculum vel XIi initium, ut omittam IX, VIII, VII, Vto (sic!) adscripta, pleraque ex istis diplomatis in fronte gerunt. Vehementer igitur desideratam, modo fides iis haberi posset, ipsis illis, de quibus disputavimus, temporibus lucem afferrent. At Muratorius multa hinc inde suspicatus XII aut etiam XIII saeculo ea attribuit hisce fere de causis: quia, qui illa dedere, notarii tanquam „sacri imperii notarii" subscripserunt; hanc enim subscriptionis formulam non ante Friderici I aetatem pro illa „sacri palatii" invectam esse censet; offenditur deinde frequenti „dominorum" tituli usu additisque cognominibus. Econtra docti Camaldulensium annalistae non solum reapse X maxime saeculo istas chartas adiudicarunt, sed etiam comparando, connectendo, coniiciendo solidum iis ordinem imposuisse sibi visi sunt. Qua tamen in re audacter ac temere eos egisse confitendum est. Singula enim quaeque si firmare studes, ubi ne unum quidem ex istis documentis certo anno addicere tibi licet, oleum et operam perdas necesse est. Ceterum ab impostoribus illa profecta esse ipse persuadere sibi nequit Muratorius; multiplicem qua abundant,

61) Ann. Camald. IV. p. 244, 321. 62) Antiq. It. II. p. 1063—76.

63) Ann. Camald. I. App. p. 29, 31—33, 37—38, 47, 80, 102—3, 248, 264, 276. — II. App. p. 54. cf. IV. App. p. 277, 476. — Cf. C. D. S. s. XI, 1—3. — Cambiagi ist. di Cors. I. cet.

confusionem iure solis, qui eas transscripsere, vitio vertit amanuensibus. Qui quanta usi sint eruditione, facile cognosces ex eo, quod unus de ipsis subscripsit: „Coplavi ea, quae sic vidi, quae intellexi, nec iungens nec carens aliquid res, quod variat sensum vel intellectum, licet fortassis propter malam orthographiam" [64]). Tales homines, qui cetera omnia perverse tradiderunt, nonne etiam pro contractis iustis notariorum signis suam, qua ipsi utebantur „sacri imperii" formulam supponere nominibusque, sicuti loquendo facere consuerant, „domini" titulum addere potuerunt? Cognominibus vero Sardos iam XI saeculo usos esse constat, cur non X Corsos? Itaque his rebus nos offendi non debere existimo, si quidem revera aliunde maiorem illorum diplomatum vetustatem probare possemus. Atque id quidem profecto, quantum ad unum ex illis, prospere videtur successurum esse. Est enim in chartis nostris una, qua — nisi perperam ex latino translata est — fundatio abbatiae s. Stephani Venacensis a comitibus quibusdam Corsicanis „regnante d. Berlingerio rege et iudice" facta narratur [65]). Quae quidem tabula, quanquam omnibus, quae Muratorius animadvertit, vitiis maculata est, tamen ad Friderici I tempora trahi non potest, nedum ad saeculum XIII. Namque in illa Gelasii II bulla una cum aliis s. Mamiliani possessionibus Corsicanis monasterium quoque s. Stephani de Venaco memoratur, qua
a. 1118. ex re istam chartum ante a. 1118 conscriptam esse apparet. Accedit, quod in eodem diplomate mentio fit „Sinibaldi Ravennatis arhiepiscopi et legati in Corsica" alias ignoti. Quum
a. 1077—1121. autem a 1077 usque ad 1121 a. Pisanos episcopos vel archiepiscopos Romanorum vice pontificum Corsicam administrasse constet [66]), nequaquam illo tempore Ravennatem archiepiscopum legationem in Corsica succepisse credendum
a. 1077. est, unde sequitur tabulam nostram ante a. 1077 exaratam

---

64) Mur. Ant. It. II. p. 1065. 65) Ib. p. 1067 A.
66) J. 3789, 3791, 3827, 4066, 5028.

esse. Quoniam vero ante id tempus eandem insulam per plurimos annos „Romanorum dissetudine legatorum“ a s. sede alienam fuisse scimus, longo temporis spatio Berlingerium regem a Gregorii VII aetate segregandum esse patet. Itaque libenter forte accipere possimus, quod coniecere Camaldulenses, pro „a. 407“ in autographo „907“ scriptum fuisse; a. 907.
facile enim ante CCCCVII littera D fortasse exstincta ab amanuensibus negligi poterat. Atque hactenus bene res se habet. Ecce vero altera charta et ipsa saeculum X professa, qua „Berlingerius rex d. g. dominus de Corsica et de Sardinia“ monasterio ss. Benedicti et Zenobii de Ilaria, quod pariter fuit regulae s. Mamiliani, veteres oblationes eo tempore, quo fundatum erat, illi a se factas confirmat novasque insuper addit[67]. Utramque chartam, quisquis iis operam dedit, minime ab altera disiungendam esse ratus est. Ac revera ita, quid sibi velit illud „iudicis“ nomen in primo diplomate inditum Berlingerio, alterius inscriptione „Berlingerius rex d. g. dominus de Corsica et de Sardinia“ perbene posset illustrari; etenim in Sardinia iudicem illum fuisse appareret. Namque in Corsica ante secundam XIII saeculi partem iudices fuisse prorsus inauditum est. Attamen illam donationem a Berlingerio factam esse comperimus „cum licentia d. papae Alexandri“; quamobrem ad X saeculum ipsum diploma trahi nequit, immo ne ad XI quidem; nam Alexandri II tempore, qui ultimus ante Gregorium VII sedit, nullo Corsica utebatur a. 1061 —73.
Romae commercio. Accedit, quod ibidem inter testes Nicolaus affertur episcopus Acciensis; hunc vero episcopatum a. 1133 demum ab Innocentio II constitutum esse notissimum est[68]. a. 1133.
Qua re Berlingerii diploma Alexandri III aut a. 1159 —81.

67) Mur. l. c. p. 1065 A.

68) J. 5448. Sequitur ex illo Acciensis episcopi testimonio, nequicquam Camaldulenses Alexandrum papam exstinguere conatos esse; nam posito: ab amanuensi pro papa „A“. substitutum esse papam Alexandrum; tamen post a. 1133 praeter duos Alexandros III. et IV. nisi Anastasium IV. (1153—54) nullum alium interpolare posses, quod quidem ad temporis rationem nihil referret.

a. 1254—61. IV aetati adscribendum est. Duos igitur haberemus Berlingerios sive Berengarios diversissimis temporibus in Corsica regnantes atque utrumque fortasse Sardiniae iudicem, utriusque deinde aetate maximas s. Maximiliani fratres adepti essent possessiones Corsicanas. Tamen neutrius alibi unquam mentio fit. Ac, quantum ad reliquas illas tabulas ad Montem Christi spectantes, ad remotiora saecula earum ullam pertinere monstrari nequit, immo contrarium de nonnullis ostendi potest[69]). Sola donatio s. Stephano Venacensi facta ab „Angelo comite et d. Gilia comitissa eius matre“ [70]) cum priore Berlingerio iungenda est; nam quum fundatio quoque eiusdem abbatiae „Berlingerio regnante cum voluntate d. Angeli comitis, Corsicae domini, et d. Giliae eius matris“ facta esse narretur, ad eandem aetatem utrumque diploma trahi necesse est, etsi ipsum quidem alterum inepte profitetur a. 600. Ecquem duobus his documentis tam corruptis ad illustrandam Corsicanam X saeculi historiam solis acquiescere velle arbitraris? Fieri quidem potuisse concedendum erit, ut tunc temporis ibidem permulti vigerent nobiles, qui comitum nomen vinculumque beneficiale, quo inter se adstringerentur, tanquam reliquias veteris cum imperio coniunctionis retinuissent; fieri deinde potuisse, ut, qui inter illos maxime potentia excellerent, undique in Italia reges exsurgere videntes et ipsi ad augendam suam auctoritatem regium nomen induerent, quo quidem Sardorum iudices iam XI saeculo or-

69) Mur. l. c. p. 1063 B, 1063 D, 1069 C, 1073 B. — C. D. S. s. XI, 1, 2, 3. Hugonem illum iudicem Caralitanum, dominum in Corsica, marchionem Massae perperam a Tola in ineunte saeculo XI poni apparet ex eo, quod in prima eius charta (C. D. S. s. XI, 1) legitur: „actum in Castro Calari“; quod quidem castrum a. 1217 a Pisanis conditum esse constat; v. C. D. S. s. XIII, 35. — Sed ipsi tituli, quibus utuntur et Hugo et Guilelmus (s. XI, 2), perspicuo demonstrant, e stirpe eos profectos esse Guilelmi I. marchionis Massae, domini in Corsica, qui circa a. 1190 iudicatum Caralitanum occupavit; itaque in XIII saeculo tria illa diplomata Tola collocare debuit. — De Guilelmo I. v. infra cap. IV.

70) Mur. l. c. p. 1069 A.

natos fuisse constat. Sed quid ad historiam illud „fieri potuisse"? Id solum patet usque ad hunc diem non minus, quam Muratorio videbantur, arcana manere diplomata Mamilianea. Quod enim maxime probabile videtur, ad Alexandri IV aetatem pertinere Berlingerium, quo tempore in utraque a. 1254 insula nobilium tituli multifariam permiscentur, id tamen —61. alias habet haud parvas difficultates, incognita episcoporum aliorumque nomina, Pisanos aut Genuenses nequaquam commemoratos nec factam Camaldulensium mentionem. Ad superiora vero, de quibus hoc loco agimus, tempora illustranda, quoniam aliis omnino caremus certis nuntiis, nullo modo uti poterimus pessimis istis maximeque inter se repugnantibus apographis Christimontanis[71]). Itaque nos relicto tam lubrico solo stabiliora taudem tempora petamus.

Mirum fortasse cuipiam videatur, quod istam, de qua modo locuti sumus, licet unquam Sardiniam Arabibus paruisse negaverimus, tamen Saracenicam vocemus historiae Sardae periodum. Attamen nos maximum semper illos momentum attulisse rebus Sardois minime volumus infitari. Illorum enim incursionibus Sardiniae et data et servata per CCC annos fuit libertas; illorum rursus incursionibus factum esse videbimus, ut ineunte saeculo XI eadem Sardorum libertas leniter primum quidem per papam et Pisanos tangeretur, deinde paulatim ad internecionem veniret. Prius autem, quam de his rebus agemus, pauca de fontibus, e quibus Museti regis historiam haurire possimus, disseramus oportet. Victoria, quam de illo reportarunt, facultatem Pisani nacti sunt Sardiniae pedetentim sibi subiiciendae; atque hac maxi-

71) Marchiones Corsicae XII saeculo floruisse scimus, Pisanis amicos, e Tuscia videlicet profectos (v. Mur. Ant. It. p. 1161, 1165; Ant. Est. I. p. 230) reges invenies nullos. — Denique sexcentis Johannes Grossanus (ap. Filippin. hist. Cors. l. II. et III.) nobilium Corsorum nominibus antiqua tempora implet, in quibus frustra quaeres Berlingerium ceterosve chartarum nostrarum dominos comitesque; sed et semper ille fabulose, et transmontana praecipue loca attingit, contra ad cismontanam Corsicae partem diplomata spectant Mamilianea.

me re civitatem suam gradatim in summum fastigium emersisse haud ignorantes, fieri non potuit, quin posteri cives Pisani res a maioribus suis contra Musetum gestas elatis semper animis celebrarent; quo factum est, ut fama illarum in dies augeretur multaeque deinde veris traditionibus fabulae adderentur. Accedit, quod exorta mox Genuensium aemulatione sibi soli uterque populus gloriam istam Sardoique ius imperii tribuere studebat. Fidissimam igitur narratio-
int. a. 1114 et 1120. nem Laurentius Vernensis dedit, qui Cannis post in carmine suo de bello Maioricano confecto, quae ipse a Pisanis atque a Sardis de Museto audierat, memoriae prodidit[72]). Quocum
a. 1150—75. iungendus videtur Bernhardus Marago, qui chronico suo secunda XII saeculi parte scripto de prioribus quoque temporibus parvas notas inseruit[73]). Exoptata deinde additamenta Arabicis debemus scriptoribus[74]). Perpauca Thietmarus ipse aequalis Museti ad illum spectantia nobis tradidit[75]), eundemque Ademarus quoque leviter tangit[76]). Quae
a. cc. 1340—1404. vero Michaël de Vico, pessimus XIV saeculi compilator relationi Maragonianae addidit, circumspecto semper temptanda
(scrips.) cc a. 1400. iudicio[77]). Comparanti deinde Ranerium Sardum, isti fere
cc. a. 1550. aequalem[78]), Roncionium denique natum medio saeculo XVI[79]), perlucide tibi apparebit, Museti historiam sensim nivium molis more crevisse in immensum. Tum paene innumerabiles ille incursiones in Sardiniam fecisse ac tandem ipse, id quod iam Friderico I Genuensium legati persuadere vo-

72) L. V. de bell. Maior. l. VII. ap. Murat. Sc. VI. p. 124—5:
„Docuere senes, quaecunque retexo;
Quaesitis Sardis non haec tibi vera negabunt."
Roncionius Henricum cappellanum carminis auctorem appellat v. Archiv. Stor. VI, 1; p. 100.

73) Archiv. Stor. VI, 2; p. 1 sq.

74) Apud Condeum: historia de la dominacion de los Arabes en España I. p. 589, 595 sq. II. p. 10 sq., p. 24.

75) L. VII c. 31 M. G. Sc. III. 76) Histor. l. III c. 52, 55. M. G. Sc. IV.

77) Murat. Sc. VI. p. 167 sq. 78) Arch. stor. VI, 2; p. 75 sq.

79) Ib. VI, 1; p. 1 sq.

luerant[80]), captus et ad imperatorem missus esse putabatur; proque duobus, quae Michaël de Vico commemoraverat, privilegiis de Sardinia Pisanis a papa datis, plurima novit Roncionius; denique omnia aucta, amplificata, ornata videmus[81]). Ac iam verum ex illis traditionibus exsecare conemur.

Ipsa Italia X saeculo maximas a Saracenis calamitates acceperat: septentrionales eius partes Arabes Fraxinetani ex Hispania profecti populabantur, meridionales Siculi, progenies Africana. Haec vero fuerant bella terrestria; mare
Tuscum inde ab a. 935 intactum videtur mansisse. Tum in- a. 935.
eunte saeculo XI denuo piratarum classes ad latrocinia facienda usque ad illas oras vagari coeperunt. Tunc bis Pisam
a Saracenis Hispanicis captam ac direptam esse comperimus[82]). a. 1004 (sive 5),
Quas prolusiones graviora mox secuta sunt certamina. Et- 1011 (s. 12).
enim illo tempore Cordubensi Omeîadarum imperio ad ultimum discrimen vocato, singularum hinc illinc praefecti Hispaniae provinciarum perpetuis bellis civilibus ad propria imperia sibi paranda usi sunt. Inter quos Mugehid (s. Mugihaid) Edim ben Abdala Alameri, notus cognomine Abul Geix el Muafek, Deniae provinciae Wali, maris praecipue imperium, id quod regni ipsius natura suadebat, sibi comparare conatus occupatis primum Yviza et Maiorica insulis Sardiniam deinde expugnare constituit[83]). Atque hic quidem „Musetus“ ille rex est, quia apud Pisanos quoque scriptores nobis occurrit. Is igitur magna classe insulam nostram aggressus loca munita cepit ac paene totam armis subegit[84]).

80) Oberti ann. M. G. Sc. XVIII. p. 59, 72.

81) Cf. etiam Lor. Bonincontri di S. Miniato fragm. apud Constantinum Caietanum; not. ad vit. Gelasii II. Mur. Sc. III. p. 401. Multos praeterea errores nobis imposuit Benvenutus Imolensis (ad Dante. div. com.; inferno c. XXII, purgatorio c. VIII), quem secuti sunt Christ. Landinus, ceteri. — De quibus v. infra.

82) v. Marag. ad a. 1005 et 1012.

83) Conde I. p. 589, 591, cf. II. p. 10—11.

84) Conde I. p. 591: „Por fuerza de armas se apoderó de lo mas de ella y de sus fortalezas“. — Cf. Laur. Vern. l. c.

Ac tam adversa fortuna Sardi ea de causa videntur dimicasse, quia nullis per tot annos Saracenorum bellis assueti tum non praedonum manum, sicuti antea factum erat, sed magnum potentis regis exercitum sibi oppositum cernebant. Tali igitur necessitate oppressi a Benedicto papa VIII auxilium petierunt. Qui quidem Leonis IV et Ioannis X vestigia secutus, quum illud periculum toti Italiae imminere intelligeret, precibus Hilari Cai Caralitani, cuius progenies diu postea Romae vigebat pontificibus familiarissima[85]), libenter auditis Pisanos et Genuenses Musetum e Sardinia pellere iussit. Hae enim civitates collapsis Amalfitanorum opibus paulo ante exsurgere coeperant, e quibus Pisa magis conspicua tunc insuper damna nuper accepta Hispanicis Saracenis referre cupiebat. Musetus de adventu hostium certior factus fugae sese commisit, magnam tamen et illorum armis et orta tempestate navium iacturam fecit[86]). Ipse Yvizam reversus maioribus deinde viribus paratis postero anno iterum Sardiniam expugnavit atque ad imperium suum firmandum oppida exstruere coepit saevissimaque Sardos vexabat crudeli-

---

85) V. inscr. in eccl. S. Chrysog. Rom.:

Hic Sepultus Est
Constantinus Cao Caralitanus
Cum Hilaro Patre Et Anastasio Fratre
Qui Hospitale Pro Sardiniae Pauperibus
Fundavit
Cui Aedes Attribuit Et Census Applicuit.
Hilari Precibus Sardiniam
A Saracenis
Papa Liberari Curavit.
Anastasius Fuit Litterarum Peritissimus
Pontificibus Carus Et Pietate Clarus.
Benedictus Caius Anastasii Filius
Posuit MLXVIII.

Cf. de hac inscriptione aliisque ad Caos spectantibus: Tola. diz. biogr. d. Sard. ill. I. p. 169 sq.

86) Conde. I. p. 595. Laur. Vern. l. c. Marag. ad a. 1016.

tate[87]). Tum vero iterum Pisani et Genuenses Caralitanum invadunt iudicatum factoque proelio Musetus victus in Africam confugit. Captum illius filium victores ad Henricum imperatorem in Germaniam mittunt redditumque ab eo postea patri restituunt[88]). Attamen Itali, dum insulam pervagantur, mox ipsi inter se discordes facti sunt, quumque prope Turrim ad arma res venisset, Genuenses plane e Sardinia eiiciuntur[89]).

Atque has quidem solas expeditiones veteribus Pisanorum scriptoribus adhibitisque Arabicis eximere poteris. Quibus vero in annis ponendae sint, haud ita facile erit ad diiudicandum. Nullum Laurentius Vernensis annum indicat. Arabici apud Condeum Musetum Baleares a. 1015[90]), Sar- a. 1015,
diniam a. 1016 expugnasse tradunt; ibi illum usque ad 1016.
a. 1017 moratum tandem frementibus militibus cessisse; sed solutarum navium maximam partem tempestate Christianorumque armis, qui magna classe venissent, deletam esse; quo facto regem Yvizam rediisse. Nihil illi quidem de bello redintegrato, nihil de capta Museti familia, multa vero narrant poëtarum more ornata. Quorum relationi parum accuratae vix, quantum ad temporis rationem, fides videtur habenda esse. Nam quae de fuga Museti tradunt, ad primum bellum Pisanum ea pertinere necesse est, quoniam iterum fugatus ille Africam petiit, ac non Yvizam. Huc autem primum certe non a. 1017 reversus est; disputari tantum potest de a. 1015 aut 1016. Etenim Marago duas Pisanorum expeditiones in 1016 et 1017 a. collocat, qua in re omnes a. 1016.
nostri aevi scriptores acquiescunt. Nos autem haud alienum 1017.
esse ducimus pauca de chronologia Maragoniana proponere. Illum enim inde ab a. 1150 cc., quo loco uberiore sermone continuas enarrare incipit res gestas, Pisano calculo usum

87) Laur. Vern. l. c.; Marag. ib.

88) „Alanta" Laur. Vern. eum appellat; eundem puto atque „Aly ben Mugihaid" ap. Cond. II. p. 11.

89) Marag. ad a. 1017. 90) A. heg. 406, i. e. 1015 iun. — 1016 mai.

esse nemo est, qui nesciat; ac tum indictionibus plerumque appositis facile, quos ille tradidit, annos emendare licebit. Sed quaeri potest, num idem etiam in brevioribus fecerit notis ad superiora tempora spectantibus, quas sine dubio ex aliis fontibus recepit. Sed in his quoque accurate facto examine saepius, id quod de Pisano scriptore per se coniiciendum erit, Pisanum calculum adhibitum esse invenies[91]). Quamobrem illa quoque facta, de quibus aliunde nihil constat, vulgari nostrae temporum rationi accommodanda esse
a. 1015, 1016. verisimile est. Itaque ut a. 1015 et 1016 dua Pisanorum et Genuensium bella Sardoa facta esse existimem, magis
a. 1016. animus inclinat; ideoque victoriam illam, quam a. 1016 ipse Benedictus earundem auxiliis adiutus civitatum in Lunisiana de Museti exercitu reportavit, cum altera illarum expeditione

---

91) Arch. stor. VI, 1. p. 4—13; ad a. 1004 –1150.

adhib. calc. Pis.

a. 1054. Bonif. ob. (recte 1052, 1053 Lamb. Hersf.)
1077. Beatr. ob.
1086. mortalitas, fames (Bernold.)
1100. Hierosol. cpt.
1105. bell. Luc. incip. (Ptolem. Luc. ann. br.)
1107. (legend. 1112, XII pro VII,) Henr. V. Pis. ven.
1116. Mathild. ob.
1136. concil. Rom. (Jaffé reg.)
1138. mgn. bell. c. Roger. gest.

calc. vulgar.

1063. bell. Panorm. (Ganfr. Malat.)
1088. bell. Afric. (Gfr. Mal , Bernold., Petr. diac.)
1119. bell. Gennens. inc. (Cafar.)
1120. } bell. Gen. (Cafar.)
1122. }
1133. lis cum Roger. acta. (Fulc. Benev., Romuald. Salern.)

Reliqua definiri nequeunt; inde ab a. 1004 novum incipit capitulum in cod. Paris.; priora pessime compilata; sed hic quoque nonnunquam Pisanus calc. nobis occurrit. — E. g. a. 917: „exiernnt Saracini de Garello." atque etiam illud: a. 971 „fuerunt Pisani in Calabria", ad Ottonis I expeditionem a. 970 factam videtur pertinere.

in Sardiniam facta coniungendam esse censeo[92]). Sed nos quidem, id quod ex proposito nostro sequitur, haecce tanquam firma demonstrasse satis ducimus: bis Musetum Deniae regem aut 1015 et 1016 aut 1016 et 1017 a. armorum vi Sardiniam sibi subiecisse, bis deinde eundem a Pisanis et Genuensibus victum atque expulsum esse; hos vero ad id exsequendum petentibus Sardis a Benedicto papa mandatos esse, denique eiectis Genuensibus praemium certaminis solos tunc abstulisse Pisanos. Quae quidem ad mutatam, quam sequenti capite depingemus, Sardiniae conditionem explicandam sufficient. a. 1015 (6) et 1016 (7).

Prius autem posterorum nonnulli errores emendandi sunt. Saepius Musetum sequentibus annis Sardiniam recuperasse totidemque ab Italis eiectum esse, tandem a. 1050 (Pis.?) ipsum a Pisanis captum ac Sardoam eius coronam imperatori missam esse primi referunt exeunte saeculo XIV Michaël de Vico et Ranerius Sardus. Haec vero posteris temporibus ampliando conficta esse patet. Etenim reversum in Hispaniam Musetum ibi a. 1018 cum Normannis pugnasse[93]), postea Hispalensibus regibus affinitate coniunctum provinciam suam administrasse, denique a. heg. 436 Deniae diem supremum obiisse constat[94]). Itaque certe a. 1050 Sardiniam expugnare aut a Pisanis capi non potuit. Sed ne antea quidem illam insulam ab eo rursus petitam esse verisimile est; neque enim quidquam de ea re aut apud Maragonem aut apud Laurentium Verneusem reperies. Alias potius oras maritimas, nisi plane destitit bellis navalibus, prioribus damnis deterritus, vexandas videtur sibi elegisse[95]). Quodsi a. 1050 (Pis.?) a. 1018. a. 1044 iul. —1045 iul.

[92]) Thietmar. VII, 31. M. G. Sc. III. Quanquam Thietmarus neque Museti neque Pisanorum aut Genuensium nomina affert, tamen sine dubio rex ille Saracenorum Christianorumque classis a Benedicto praemissa ad illos pertinent. Cf. Murat. ann. ad a. 1017; Giesebr. G. d. K. II. p. 174.

[93]) Ademar. hist. l. III c. 52. M. G. Sc. IV.

[94]) Conde II. p. 10, 11, 24, 27.

[95]) Ademar. l. c.: a. 1020 Mauros Cordubenses Narbonam invasisse tradit; quod quidem ad Musetum spectare potest.

deinde XIV saeculi scriptores expugnata insula Pisanos cum
Genuensibus pactum fecisse volunt, quo illis praeda mobilis,
ipsa terra sibi tribueretur, hoc nemo est, quin postea ad re-
fellenda Genuensium iura inepte a Pisanis excogitatum esse
cognoscat[96]. Neque aliud iudicium ferendum est de privi-
legiis illis, quibus iidem tradunt insulae nostrae possessio-
a.1016(7), 1049(50). nem bis Pisanis a. 1017 a Benedicto VIII, a. 1050 a Leone IX
concessam esse[97]. Qualisnam Sardoi Pisanorum imperii
saeculo XI natura fuerit, infra exponemus, Gregorium autem
VII nullam exterae gentis dominationem in Sardinia agno-
visse ex litteris eius intelligere licebit; sollemnem quandam
inaugurationem ab antecessoribus suis factam esse ipsum
fugere minime potuisset. Diligenter quidem Michaël de
a.1016(7). Vico[98] episcopum Ostiensem cum privilegio et vexillo s.
Petri Pisam venisse ibique a consulibus et a Lamberto epis-
copo receptum esse narrat. Attamen consulatum exeunte
demum saeculo XI in eadem civitate institutum esse notum
a. 1015—31. est[99]; ecclesiam vero Pisanam inde a 1015 usque ad 1031 a.
Azzonem episcopum rexisse constat[100]; Lamberto autem sive
a.1091,92. Daimberto LXX annis post ab Urbano II Corsicanos episco-
patus subiectos esse commissamque in Sardinia legationem
perpetuam videbis. Talia igitur noster confudit; qua ex re,
quantum ei habendum sit fidei, statim discernes. Denique
fatalissimum, quo usque ad hunc diem nostratium plerique
versantur, errorem a Benvenuto Imolensi doctissimo divinae
comoediae interprete posteritas accepit. Is enim in commen-
tariis suis saeculo XIV conscriptis ita iudicatuum Sardorum

96) Mich. d. Vic. ad a. 1020; Ran. Sard. ad a. 1021. Benven. Imol. comm. ad. div. com. inf. XXII, 81.

97) M. d. Vic., Ran. Sard., ad a. 1017, 1050.

98) Ad a. 1017; quod ipse regestis inseruit Jafféus. v. J. 3070.

99) Consules primnm commemorantur a. 1094 v. Mur. Ant. It. III p. 1100; denotari videntnr, sine ipso tamen nomine, iam a. 1081; v. concord. inter Henr. IV et pop. Pis.; Mur. Ant. It. IV p. 20 D.

100) V. Mur. Aut. It. III. p. 1073 not. 1.

originem factam esse contendit, ut Pisani reformatam insulam in quatuor partes diviserint rectoresque deinde e civibus suis iudicum nomine inditos singulis praefecerint provinciis.[101]) Sed et antea iamdudum iudices in insula nostra fuisse et per totum saeculum XI, immo ad extrema XIIi lustra iudicatus ab indigenis Sardorum familiis administratos esse certissimum habemus. Praecipue vero Gallurensem provinciam Benvenutus ad interpretandum suavissimum quendam purgatorii locum[102]) initio comitibus Pisanis commissam esse vult, de quorum insigni gentilicio, quo gallus depingeretur, ipsum Gallurae nomen originem duxisse putat. Ecquis hodie machina ista heraldica falli potest? Quanqnam enim recte sine ullo dubio divus Aligerius Pisanos suae aetatis iudices Gallurenses gallum tanquam insigne gessisse retulit, tamen illos ipsos tale insigne e provinciae suae nomine sumpsisse per se apparet. Hos autem cives Pisanos ineunte demum saeculo XIII Gallurae regnum sibi comparasse notum est, neque priores eiusdem provinciae regulos gallo tanquam insigni usos fuisse monstrare poteris. Confitendum quidem est Gallurensium iudicum album maioribus, quam reliqua, lacunis interruptum nobis patere; tamen haudquaquam solis etymologicis Benvenuti experimentis eo adduci debemus, ut, id quod in nullo iudicatu factum esse apparet, cives Pisanos ineunte saecnlo XI Gallurae praefectos fuisse opinemur.

101) Ad infern. XXII, 81.

102) Purg. VIII, 79—81 : „Non le farà si bella sepoltura
„La vipera, che i Milanesi accampa,
„Com' avria fatto il gallo di Gallura“

Cf. Benven. ad inf. XXII, 81.

CAPUT III.

De summo sedis Romanae in Sardinia imperio.

Bellis Museticis per tria sequentia saecula directus est, ut ita dicam, cursus rerum Sardoarum. Nam primum quidem, quia Sardinia ipsa viribus infirma, ut salus atque libertas sibi restitueretur, a pontifice Romano petere coacta fuerat, fieri non potuit, quin exinde in perpetuum plus minus penderet ex auctoritate sedis Romanae. Quoniam vero Benedictus papa ad id peragendum Pisanorum et Genuensium armis usus erat, his duabus maxime civitatibus insula nostra lege belli obtigisse videbatur; itaque in posterum, quotienscunque de summo Sardiniae imperio agetur, id praecipue inquirendum esse videbimus, qualisnam singulis temporibus ratio interfuerit inter utramque civitatem et pontifices aut imperatores Romanos. Sed tunc quidem ineunte saeculo XI Genuensibus per vim eiectis soli Pisani omnem ex victoria iunctis armis parta fructum perceperant; quo factum est, ut Genua minoribus tunc valens opibus ad tempus quidem insula abstineret, postea autem clam et gradatim suam auctoritatem rebus Sardois interponere conaretur. Neque vero unquam iure suo cedere voluit, atque haec ipsa res, quod tum magnam sibi iniuriam illatam esse recte Genuenses arbitrabantur, ansam postea dedit perpetuae contentionis inter utramque civitatem factae, qua tandem tribus paene saeculis elapsis ad internecionem veniret Pisanorum potentia. Sed ne hoc quidem velim obliviscaris, haudquaquam Museti regis aetate rempublicam Pisanam liberam iam fuisse a ditione marchionum Tusciae[1]); quamobrem, quidquid Pisa expugnarat, eo ipso Tusciae atque imperio additum esse videbatur. Ac quam aperte tanquam imperii partes et pro ipso imperio

1) Cf. Hegel, Gesch. d. Städteverfassung v. It. II. p. 80—83, 183—185.

se vicisse duae civitates sentirent, ex eo apparet, quod, uti supra narravimus, statim bello confecto captum Museti filium imperatori in Germaniam dono miserunt. Sed ad hanc rem infra nobis redeundum erit; hic talia atque tanta bellis Museticis effecta esse meminisse satis est. Tamen haec ipsa non statim neque uno eodemque anno enata, sed sensim et pedetentim per totum saeculum XI formata atque exculta sunt. Quin etiam imperii iura ante Fridericum I a nullo imperatore repetita esse videmus. Itaque nostrum erit hocce capite demonstrare, qualenam sese praebuerit usque ad medium saeculum XII summum in Sardinia imperium sedis apostolicae, quantumque deinde Pisanorum ac denique Genuensium potestas illo temporis spatio ibidem valuerit; singulorum vero iudicatuum aut ecclesiae Sardae historiam eatenus tantum adhibebimus, quatenus ad propositum nostrum pertinere censemus; cetera apud doctos Sardos, Mannum, Tolam, Petrum Martini narrata invenies.

Primum quatuor Sardiniae iudicatus, Calaris, Arborea,
Turris, Gallura, in epistola quadam a Gregorio VII a. 1073 a. 1073.
scripta commemorantur[2]); atque ex illo tempore totidem plus
minusve continuos indigenarum iudicum catalogos componere
possumus. Sed iam antea ex diplomatis ab ipsis datis con-
stat Torkitorium regem inde ab a. 1058 Calaritanam, Bare- a. 1058.
sonem a. 1063 Logudorensem sive Turritanam provinciam a. 1063.
administrasse[3]). Quaerendum igitur videtur, quonam potissimum tempore isti quatuor iudicatus exorti sint. Respondent plerique Benvenutum Imolensem secuti, Pisanos Museto expulso insulam in quatuor partes divisam suis iudicibus regendam tradidisse, qui quidem postea spreto civitatis suae

[2]) J. 3564.

[3]) C. D. S. s. XI, 7. „Torkitorius rex Sardigniae de loco Call.", i. e. Callari. (locus, „logu" apud Sardos = provincia, iudicatus). a. 1066 „VIII a. regni eius". — ib. dipl. 6. „Barosso (sive Bareso) rex in renno, quo dicitur Ore"; l. e. „logu d'Ore" = Logudoro = Turris. Cf. Leon. Ostiens. ad a. 1063 sq. ib. III c. 21, 22, 24. M. G. Sc. VII p. 712 sq.

imperio sui iuris dominari immo regnare coepissent. Haec vero inepte inventa esse iam supra monstravimus. At dicat fortasse quispiam, quamvis concedendum sit iampridem ante invasionem Pisanam iudices praefuisse Sardiniae, nec minus indigenas Sardorum familias usque ad finem XII saeculi quatuor regna Sardoa tenuisse, tamen magnam totius insulae reformationem illamque certe eius divisionem Pisanis sine dubio deberi, qui Sardos quosdam sibi fideles vetere iudicum nomine indutos tanquam praesides vice sua novis provinciis praefecerint. Atque ita rem sese habuisse eum oportet existimare, qui Musetum quasi ultimum ex longa regum Saracenorum serie Sardinia expulsum esse opinatur. Nos vero per biennium tantum incursionibus ab illo factis tranquillam Christianae Sardorum reipublicae vitam turbatam esse scimus. Quid inde opus fuit diviso planeve reformato? Multo nobis veri videtur similius veteres quatuor Sardiniae iudicatus, qui nescio quando vel VIII vel IX vel X saeculo exstiterant, quum deinde a Museto fuissent sublati, denuo iussu papae a Pisanis restitutos esse. Hos vero magnopere tum assuetas reipublicae formas in Sardinia mutasse, dummodo, qua conditione posterioribus temporibus iudices usi sint, intellexeris, certe nobiscum negabis. Atque id quidem con-
a. 1016(?). fitendum erit, ipsos Pisanos a. 1016 (?) Sardiniae iudicatus in deditionem accepisse sibi visos esse. Audias Laurentium Vernensem, qui narrata altera Museti clade haec addit:

„Erepti Sardi iugulis tutique fuerunt,
„Indeque tota manent Pisanis subdita regna
„Sardiniae.“ [4])

a. 1034(3?). Quin iam a. 1034 (Pis.?) illi in fronte aedis suae cathedralis hancce inscriptionem posuere: [5])

„His maiora tibi post haec, urbs clara, dedisti,
„Viribus eximiis cum superata tuis

---

[4]) Mur. Sc. VI. p. 125.
[5]) Al. di Morrona: Pisa illustrata t. I. p. 155 ed. Livorn. 1812.

„Gens Saracenorum periit sine laude snorum;

„Hinc tibi Sardiuia dedita semper erit.“ A. D. MXXXIIII. Cuiusmodi autem re vera talis deditio fuerit, ex hac re optime cognosces. Inennte saeculo XII, qua de aetate multis diplomatis adhuc servatis certiores fimus[6]), minime imperantes iudicibus Pisanos videbis, sed ipsi eodem modo ac Genuenses crebris illorum bellis civilibus ita astute nsi sunt, ut varias ab illis tanquam praemia praestiti auxilii impetrarent donatioues, quibus ipsi portorii teloneique immunes fierent, aut ecclesia Pisana fundorum possessionem in insula adipisceretur. Haec vero dona fuisse, quibus iudices Sardiniae pro opera a Pisanis sibi navata gratiam referre studerent, ex ipsis diplomatis perlucide apparet. Ita Turbinum indicem Caralitanum illis remisisse legimus „toloneum de hyberno et de aestate et de sale, ita ut populus Pisanus sit amicns sibi et regno suo“[7]); eundemque alteri donationi haecce verba addidisse: „ita tamen, ut populus Pisanus sit amicus mihi et in regno meo et non offendant regnum meum studiose“[8]). Nec minus Torchitorius index, quia ad regnum Caralitanum recuperandum ipsum adiuverant, „nobilissimos et prudentissimos cives Pisanos liberat ab omni tribnto seu tolineo, quod usque hodie Pisani ipsi sen antecessoribus eius dare soliti erant, ut semper cives Pisani sint liberi atqne immnnes ab omni dacito atqne tributo“[9]). Hic vero cui non in mentem venerit regum barbarorum societate atque amicitia olim cum populo Romano coniunctorum? Ac quoniam tum Pisanos, quum in summum interea fastigium respublica ipsorum emersisset, non imposuisse tributa iudicibus, sed debitis tributis tandem ab illis liberatos esse cernimns, quis, quaeso, credet C annis ante eosdem quatuor indicatus quasi provincias Pisanas ab illis primum procreatos esse? Tum nonne vicariis suis iudicibus tributa atque imperata Pisa imponere debuit? At profecto vero proxime abest putare tum

a. 1103.

a. 1107(8?) ind. I.

6) C. D. S. s. XII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 20, 29, 41, 42 cet.
7) Ib. s. XII, 1. 8) Ib. 2. 9) Ib. 6.

quoque amicos tantum populi Pisani factos esse iudices, ita ut illis „pro adiumento ad regna recuperanda sibi praestito“ ius commercii facilemque portuum Sardorum aditum vel alia pacta lucrosa necdum tamen immunitatem condonarent. Itaque, ut paucis dicam, bellis Museticis feliciter gestis opportunas Pisani nacti sunt in Sardinia navium stationes liberamque latius in dies mercaturas faciendi facultatem. Ac quum repulsis Genuensibus illa aetate aemulum sibi oppositum nullum cernerent, dedita quodammodo sibi esse regna Sardoa iactare poterant. Ac talia quidem sine dubio Bene-
a. 1016. dictus VIII libenter iis permisit; imperium vero Pisanorum
a. 1073. in Sardinia nullum Gregorio VII notum fuisse infra ostendemus; iustamque intestinis rebus Sardois interveniendi
a. cc. 1092. potestatem ab Urbano II demum acceperunt, qui perpetuam per Sardiniam legationem archiepiscopo Pisano commisit. Hac igitur connisi ortaque interea Genuensium aemulatione ipsi incitati concertare deinde cum illis incipiebant insidiosis istis artibus, quibus ineunte saeculo XII utraque civitas iudices sibi obstrinxit et firmiore paulatim gradu in insula nostra consistere coepit. Cuius rei ut etiam ante Urbani II aetatem aliquas prolusiones Pisani ederent, fieri quidem potuit, tamen propter fontium paucitatem ita fuisse monstrari nequit. Unum quod memoriae proditum est, ego praetermittere nolo, quia optime ex eo cognoscere licet, qualisnam revera medio saeculo XI ratio fuerit Sardoae Pisanorum, ut aiunt, domi-
a. 1063. nationis. A. 1063 Bareso rex Turritanus a Desiderio monasterii Casinensis abbate impetrarat, ut nonnulli illius congregationis fratres ad traducendum in Sardiniam monasticae religionis studium in regnum Logudorense mandarentur. Sed missos statim XII monachos haud procul ab insula Lilii Pisani interceperunt direptosque Pisam secum abduxerunt[10]. Tum non solum Bareso „dignam pro tantis iniuriis satis-

[10]) Leo Ostiens. III c. 21, 22. M. G. VII. p. 712 sq. — cf. C. D. S. s. XI, 6.

factionem repetitam recepit," sed etiam Alexander papa II, ut direpta b. Benedicto restituerentur, per anathema postulavit; donec tandem Gotefredus dux Tusciae cives Pisanos cum Desiderio abbate reconciliavit. Iam igitur intelligis, haudquaquam tum dominos iudicum Pisanos fuisse; sollicite tamen eos pro intacta insula vigilasse. Neque enim recte „maxima Sardorum invidia", ut fratres Casinenses caperent, eos adductos esse tradit Leo Ostiensis; sed quodvis Sardiniae commercium usque adeo sibi solis retinere volebant, ut etiam translatam eodem spiritualem s. Benedicti auctoritatem suspectam haberent. At nos paulo post ad res Pisanas reversuri nunc prius, quomodo sedis Romanae cum Sardinia coniunctio bellis Museticis affecta sit, quaeramus oportet.

Nulla ante Gregorii VII aetatem aequalia exstant testimonia, quibus pontifices Romanos summum Sardiniensium iudicatuum imperium aut tenuisse aut sibi vindicasse demonstrari possit. Sed codices nonnulli manuscripti servati sunt, qui „condaghes" sive „condagues" a Sardis appellantur, sequentibus quidem saeculis confecti, tamen ad remotiora tempora pertinentes. E quibus duo praecipue videntur memoria digni esse, quorum altero de fundatione ac consecratione Turritanae s. Gavini basilicae, altero de electione Andreae Tancae iudicis agitur[11]. Illum XII vel XIII, hunc XIV saeculo scriptum esse censemus[12]. Uterque ad Logudorensem maxime iudicatum spectat. Primum igitur ad consecrationem s. Gavini animum advertamus, neque tamen singula quaeque, quae fabulose ibidem narrantur, referamus. Haecce vero periodus gravissima videtur esse: „In custu modo regnaant sos donnos over seguores, kà sa insula in cussu tempus torravat a sa corte de Roma, et dogni annu mudaan donnu in su regnu de Logudore et de Arborea, et devenit,

11) C. D. S. s. XI, 5 et 9.

12) Cf. quae P. Tola de eadem re dicit in notis ib. p. 150, 155. — Iam saeculo XVI Fara istis documentis tanquam vetustissimis reliquiis usus est ad enarrandam iudicum historiam. V. Fara de reb. Sard. p. 224, 25.

qui elegirunt a voluntate de sa corte di Roma unu bonu homine, qui aviat a nomen donnu Comida, sos lieros de Logudore. Et tanta fuit sa benignidade sua, qui lu vulserunt pro judighe in vida sua. Et su simile lu dimandarunt sos de Arborea pro judighe. Et da inde innantis si clamat judighe Comida de ambos logos." Memoratur deinde „Baldu" iudex Gallurae, qui bello Comitae illato a sorore eius victus capitur; tum ipsa ecclesiae fundatio describitur, quam ad rem optimos architectos Pisanos Comita arcessiverat; denique post mortuum Comitam filium eius electum esse comperimus: „Et cando sos lieros de amos logos furunt arrecoltos, eligirunt ad donnigueddu Orgodori su figiu simile pro judighe de ambos logos." Quibus verbis statim iungere volumus haecce ex altero codice sumpta: „Logudoro fuit regidu et governadu per juignes, quales fuerunt electos dae sancta ecclesia Romana; in su quale tempus siguende tale ordine sa sancta ecclesia stetisit eligidu pro juigue et donnu de su cabu de Logudoro unu clamadu donnu Andrea Tanca, a requesta de sos prelados et lieros de su dictu cabu de Logudoro. — Fuit consuetudine in cuddu tempus, qui totu sos prelados, zio est su archiepiscopu de Turres cum sos de pius cabos de Logudoro sufraganeos suos, una cum sos lieros elegian sos juigues de su dictu cabu. Su archiepiscopu de Turres fuit cabu in su spirituale; et in su dictu archiepiscopadu fuit consigiante de sos juigues cum sos de pius cabos sufraganeos suos in sos ordinamentos de sa terra et de su regnu, de su palatu de Ardari, (fuit cabu de su regnu de Cabudoro)[13]), ciò est in totas sas cosas temporales. — Et in sa dicta ecclesia[14]) subra de su altare magiore faguian sacramentu sos juigues, quando

[13]) „Cabudoro" erratum fortasse pro Logudoro; sed tria quidem ibi vocabulo „cabu" significari videntur: 1. provincia = „logu"; quare fieri potest, ut „cabu d'oro" = „logu d'oro"; 2. caput, urbs maxime insignis; 3. caput = princeps, vir in republica maxime insignis. — Ista interpositio: „(fuit cabu de su regnu de Cabudoro)" = (fuit caput regni Logudorensis) ad Ardaram urbem pertinet.

[14]) I. e. eccl. s. Mariae Ardarensis.

fuint electos pro juigues, in sas manos de sos perlados et receviant sa segnoria [et][15]) pro santa ecclesia Romana et offerian a su altare una libra de argentu et una cera."

Ac primum quidem videtur exponendum, quo tempore Comita ille cum filio Orgodorio et Andreas Tanca iudices Logudorenses florere potuerint. Constat inde ab a. 1063 Ba- a. 1063.
resonis illins, quem supra memoravimus, familiam continuo obtinuisse regnum Turritanum;[16]) quamobrem illos 1063 annum antecessisse necesse est. Neque nos dubitamus, quin in prima saeculi XI parte collocandi sint; etenim quum Comita ad aedificandam s. Gavini ecclesiam architectos Pisanos convocasset, Pisanorum quadam necessitudine ipsum usnm fuisse concludendum est; quod quidem nisi confectis bellis Museticis fieri non potuit. Andream Tancam deinde post Comitam et Orgodorinm regnasse apparet; illum enim statim iudicem, dum viveret, perpetunm videmus electum esse; qui quidem mos postea semper usitatus primum Comitae aetate institutns esse traditur. Ponamus igitur illo temporis spatio inde a 1016 (7) usque ad 1063 a., nescio quando, admini- a. 1016 (7) — 1063.
strasse iudicatum Logudorensem Comitam, Orgodorium, Andream Tancam. Atque hanc quidem illo tempore, si fides condagnibns istis habenda est, reipublicae constitutionem fuisse comperimus: Summum Sardiniae imperium tenebat sedes apostolica; primumque quotannis in Arborea et iu Logudoro singuli iudices adhibita pontificis Romani voluntate

15) „Et" delendum videtur.

16) Gonnarius Turritanorum rex in diplomate qnodam a. 1147 i. e. „XX a. regni sui„ dato (v. C. D. S. s. XII, 56) s. Benedicto donationes confirmat a patre sno Constantino, Mariano avo, atavo Barasone factas. Qui quidem omnes aliunde noti sunt. Haucce igitur Logudorensium iudicum seriem accipies:
a. 1063. Bareso cum nepote donno Mariano. (C. D. S. s. XI, 6; Leo Ost. l. c.)
a. 1073. Mariauns solus, nepos Baresonis. (Ep. Greg. VII. J. 3564.)
a. 1113 (4). Constantinus, Mariani fil. (Laurent. Vern. l. c.)
inde ab a. 1127. Gonnarius, Mar. fil. (dict. dipl.)

Sequuntur deinde Bareso II, Constantinus II, Comita II, cet. — v. Tola C. D. S. dissert. III.

a liberis Sardis eligebantur. Comita deinde primus per omnem vitam iudex Turritanus factus Arboreensem insuper iudicatum administrandum accepit; quem postea in utroque regno liberorum electione vocatus filius Orgodorius secutus est. Neque multo post Andream Tancam regulum hoc modo solam provinciam Turrensem moderatum esse reperimus: Ipse secundum illius aetatis consuetudinem a liberis et praelatis provinciae suae electus apud praelatos iuravit in obsequium ecclesiae Romanae, cleroque libram argenti et cereum obtulit. Spirituales deinde res archiepiscopo Turritano et suffraganeis eius gerendae committebantur; sed etiam in ipsa republica administranda eorundem consilio praelatorum semper iudex uti debebat.

At quaerat fortasse quispiam, num huiusmodi chronicis, quibus res CC annis ante gestae narrentur, ulla fides haberi possit. Cui haec respondenda esse iudicamus. Ex traditionibus eos, qui illa conscripserunt, hausisse verisimile est; quamobrem non miracula solum sed etiam singulas res ab iis relatas caute reiicere debemus; attamen generalem veteris reipublicae imaginem certe posteri clerici Turritani memoria retinere poterant, quum praesertim reipublicae Logudorensis historia una eademque esset atque historia suae ipsorum ecclesiae. Neque inferiorum temporum mores priori aetati ab iis impositos esse iure dicere poteris. Quotannis enim electos iudices postea nunquam invenies; atque omnino posterior reipublicae Sardae status, qualem saeculo XII fuisse ex ipsis iudicum diplomatis cognoscimus, prorsus ex istis initiis, quae condaguibus nostris depicta cernimus, potuit enasci. Quae quum ita sint, caveamus velim, ne, ubi tam pauca pristinae illius aetatis vestigia nobis relicta sunt, unamquamque rem ultra fas dubitantes confictam esse suspicemur. Ceterum, ne nimiae temeritatis suo quis iure nos accuset, ipsi aperte lectorem admonemus, ut istam, quam nunc proferemus, explicationem nihil nisi coniecturam esse meminerit. Post Nicolaum I ulla consuetudine pontifices Romanos

cum Sardinia coniunctos fuisse ostendere neqnimus. At a. 1015 (6) plane oppressi servitute Saracenica Sardi omnem spem salutis in sede Romana constituere coacti sunt. Liberati deinde bis iussu Benedicti, quid tum magis ex ipsa rei natura sequi poterat, quam ut, quemadmodum Pisanis portus suos recludebant, ita pontifici Romano ius reipublicae suae inspiciendae ac moderandae traderent? Nos igitur, quum Sardiniam a. 1016 (7) a Pisanis tanquam provinciam ipsorum divisam aut reformatam esse supra negaverimus, tamen a papa tum conditionem illius commutatam esse atque ex isto maxime tempore summum imperium, quod sequentibus saeculis pontifices adversus iudices exercuerunt, originem duxisse arbitramur. Hinc annua iudicum imperia, quae in Turri saltem et in Arborea fuisse condagues referunt; hinc papalis electorum confirmatio fidelitasque sedi apostolicae iurata, hinc clerus reipublicae gerendae magis particeps. Attamen haudquaquam diu eiusmodi rerum Sardoarum status lege praeceptus re vera videtur durasse; annua iudicum potestas mox rursus in perpetuam mutata est; ac iam secunda eiusdem saeculi parte clerus et nobiles Logudorenses proximum semper mortui iudicis agnatum eligere consuerant; XII vero saeculo in omnibus iudicatibus paene hereditarium ne filiabus quidem exclusis regnum factum est. Tantique iampridem iudices dignitatem suam aestimabant, ut in primis, quae exstant, diplomatis illorum Bareso „rex" (Turritanus) et Torkytorius „rex a deo electus vel coronatus" (iudex Calaritanus) nobis occurrant[17]. Quae quum ita essent, iam brevi tempore post Benedictum VIII s. sedis auctoritas in Sardinia conniventibus ipsis pontificibus magnopere videtur imminuta esse. Gregorium VII certe rationem, quae aetate sua inter iudices et ecclesiam Romanam intererat, minime probasse ex ipsius epistolis dilucide apparet. Ad hunc igitur virum admirabilem nunc transeamus laeti, quod tandem tempora magis perspicua istis tenebris mutare nobis licebit.

a. 1015 (6).

a. 1016 (7).

---

17) C. D. S. s. XI, 6 et 7.

Sardinia bellis Museticis in memoria ceterarum gentium denuo expergefacta, quum nequaquam ad id tempus in possessionem Pisanorum cessisset, quasi terra nuper inventa, multorum in se traxerat cupiditatem[18]. At Gregorius VII, qui, quamvis spiritualibus armis universum orbem expugnare studeret, tamen ne temporali quidem potestati suae cumulum a Mathildi allatum aspernabatur, nostram quoque insulam firmo tandem vinculo cum patrimonio Petri copulare consti-
a. 1073. oct. 14. tuit. Itaque statim primo pontificatus sui anno ad quatuor iudices Sardiniae litteras dedit, quae memoratu videntur esse dignissimae.[19] Romanam ecclesiam universalem omnium Christianorum matrem specialem tamen et quodammodo privatam Sardis sollicitudinem oportere dicit impendere. Deinde haec addit: „Verum, quia negligentia antecessorum nostrorum caritas illa friguit, quae antiquis temporibus inter Romanam ecclesiam et gentem vestram fuit, in tantum a nobis plus quam gentes, quae sunt in fine mundi, vos extraneos fecistis, quod Christiana religio inter vos ad maximum detrimentum devenit. Unde multum vobis necessarium est, ut de salute animarum vestrarum studiosius admodum cogitetis et matrem vestram Romanam ecclesiam sicut legitimi filii recognoscatis, et eam devotionem, quam antiqui parentes vestri sibi impenderunt, vos quoque impendatis." Hactenus papa de spirituali Sardorum conditione loquitur. Quae, si cum reliquo orbe comparabatur, revera tum rudissima dici poterat. Tamen, quodsi Christianam religionem in insula nostra ad maximum detrimentum venisse Gregorius contendit, id ad superiora magis saecula quadrat, quam ad illam aetatem. Etenim XI saeculo non solum conditis nonnullis aedibus sacris[20] eccle-
a. 1063 et 1066. siam Sardam multum processisse constat, sed etiam paucis annis ante Gregorium ab ipsis iudicibus Benedictinam Casi-

---

18) J. 3906; qua de re infra uberius.

19) J. 3564; Jaffé bibl. rer. Germ. II. p. 45.

20) S. Maria di Tergu s. Cerigo; C. D. S. s. XI, 4; S. Gavino di Torres; ibid. 5.

nensium regulam in regnum Logudorense atque Caralitanum tradnctam esse scimus[21]; ita ut nunquam antea simili modo Christiana religio in Sardinia floruerit, nisi forte Gregorii I eiusque successorum temporibus. Atque illam maxime aetatem, qua insula nostra ipsius Romanae dioecesis partem constituerat, reapse papa videtur denotare, quum de ista caritate disserit, quae antiquis temporibus inter ecclesiam Romanam et gentem Sardam fuerit. Tum sane specialem et quodammodo privatam Sardis sollicitudinem sedes apostolica impenderat. Itaque non tam ut fides atque religio, quam ut auctoritas Romana in Sardinia restituatur, praecipue papae interest. Quamobrem etiam politicum quoddam s. sedis imperium ibidem constituere studet. Ad quod postulandum, quanquam nusquam Benedicti VIII mentionem facit, tamen ego non dubito, quin illius maxime exemplo adductus sit. „Nostri autem", inquit, „desiderii est, non solum de liberatione animarum vestrarum curam velle habere, sed etiam de salvatione patriae vestrae sollicitius invigilare. Unde si verba nostra, sicut decet, devoti receperitis, gloriam et honorem in praesenti et in futura vita obtinebitis. Quodsi aliter, quod non speramus, feceritis et ad sonum exhortationis nostrae aurem debitae obedientiae non inclinaveritis, non nostrae incuriae, sed vestrae poteritis culpae imputare, si quid periculi patriae vestrae contigerit." Quod vero consilium iis proposuerit, ex ista epistola intelligere nequimus; cetera enim archiepiscopo Turrensi et legato, quem mox missurus sit, sese mandasse dicit. Sed aliis epistolis adhibitis primam illam melius illustrari putamus. Nam paucis mensibus elapsis alteras papa litteras a. 1074.
dedit ad Orzocorem, iudicem Caralitanum, qui solus, uti videtur, ian. 16.
Gregorii verbis animo commotus ipsum Romae adire statuerat[22]. Laudato igitur eius proposito summus pontifex hoc modo pergit: „Preterea admonemus prudentiam tuam, ut de

21) C. D. S. s. XI, 6 et 7.

22) J. 3579; Jaffé. bibl. rer. Germ. II. p. 59.

causa, quam per archiepiscopum Constantinum Turrensem tibi mandavimus, cum caeteris Sardiniae iudicibus loquaris. Et firmiter inter vos communicato consilio, quicquid inde vobis cordi et animo sit, celeri nobis responsione notificate; scientes, quoniam, nisi in hoc anno certa nobis snper hac re ratione respondeatis, nec amplius vestra responsa queremus nec tamen ulterius ins et honorem s. Petri irrequisitum relinquemus." Quid vero hac altera adhortatione a iudicibus Gregorius impetraverit, ne id quidem indicare possumus. Sed denno postea bona cum gratia rem componere videtur conatus
a. 1080. oct. 5. esse. Namque ex epistola quadam a. 1080 ad eundem „Orzoccum" data Wilhelmum, episcopum Populoniensem, legatum a papa in Sardiniam missnm esse comperimus[23]). Cui iudex Caralitanus „debitum honorem et reverentiam exhibuit." Gratiis igitur actis papa haecce illi denuntiat: „Praeterea nolumus scientiam tuam latere: e nobis terram vestram a multis gentibus esse petitam; maxima servitia, si eam permitteremus invadi, fuisse promissa, ita ut medietatem totius terrae nostro usui vellent relinquere partemque alteram ad fidelitatem nostram sibi habere. Cumqne hoc non solum a Normannis et a Tuscis ac a Langobardis, sed etiam a quibusdam ultramontanis crebro ex nobis esset postulatum, nemini in ea re unquam assensum dare decrevimus, donec, ad vos legatum nostrum mittentes, animum vestrum deprehenderemus. Igitur, quia devotionem b. Petro te habere in legato suo monstrasti, si eam, sicut oportet, servare volueris, non solnm per nos nulli terram vestram vi ingrediendi licentia dabitur, sed etiam, si quis attemptaverit, et saeculariter et spiritualiter prohibebitur a nobis ac repulsabitur. Auxilium denique b. Petri, si in ipsius fidelitate perseveraveritis, procul dubio, quod non deerit, vobis et hic et in futurum promittimus." Iam vero apparet, quid papa a iudicibus petierit, quibus opibus fretus ius et honorem s. Petri reqnirere voluerit, quod

23) J. 3906; Jaffé. l. c. p. 439.

patriae periculum minatus eos ad partes suas trahere conatus sit. Etenim illo tempore iam pro explorato habebant exterae gentes, Sardiniam in potestate pontificis Romani esse, ita ut nemo iure eam se occupaturum esse existimaret nisi ab illo in feudum acceptam. At Gregorius imperium Sardoum cum alienigenis partiri veritus cum ipsis Sardorum principibus de fidelitate agere maluit, armorum vi tanquam ultima ratione reservata. Videntur autem tandem Caralitani exemplum secuti reliqui quoque iudices ditioni s. sedis sese subiecisse. Id saltem constat, nec Normannis nec Tuscis nec Langobardis neque ultramontanis tum aut totam insulam nostram aut partem eius traditam esse. Quodsi vero ultramontanos papa affert regni Sardoi competitores, id ad Gotefredum minorem Lotharingiae ducem, magnae comitissae maritum, maxime videtur spectare. Illi enim in epistola quadam a. 1074 a. 1074. apr. 7.
data pontifex scribit: „De Sardinia vero, quia terminus, quem posuimus, iam transiit, nihil aliud mandamus, quam quod praesentes semel diximus.“ [24])

Nemini dubium est, quin hoc papale Sardiniae patrocinium, primum fortasse a Benedicto VIII institutum, confirmatum deinde a Gregorio VII, integrum exceptis levibus Friderici I conatibus usque ad saeculum XIII servatum sit. Tum Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX denuo, sicut infra videbimus, singulorum iudicatuum obsequium certis legibus munire conati sunt. Quemadmodum autem antea pontifices summam potestatem adversos regulos Sardinienses exercuerint, ex diplomatis vix poteris explicare. Enumerantur quidem in libro censuali ecclesiae Romanae a. 1193 a. 1193.
a Cencio camerario composito a Sardis quoque iudicibus quotannis solvendae census pecuniae, sed eidem libro nonnulla a posterioribus camerariis addita esse constat [25]), illumque iudicum censum postea ab Honorio III, qui ipse fuerat Cencius ille cardinalis, et a Gregorio IX institutum esse

24) J. 3614. Jaffé. l. c. p. 91. 25) Murat. Ant. It. V. p. 851 sq.

scimus[26]; atque ante Innocentium III tributa regibus Sardiniae a s. sede imposita esse monstrari nequit. Id autem constat, inde a Gregorii VII aetate iudices regnum ineuntes in fidelitatem ecclesiae Romanae iurasse: sed postquam ab Urbano II eiusque successoribus Pisana ecclesia legationem perpetuam sensimque etiam primatum Sardiniae accepit, paulatim ita illo iure abutebantur archiepiscopi Pisani, ut iusiurandum, quo sedi apostolicae iudices obstringere debebant, tandem sibi ipsis eos dicere iuberent; quamobrem Innocentius III simili modo atque antea Gregorius, maxime tamen adversus ecclesiam Pisanam, Sardiniae obsequium erga s. sedem restituere studebat[27]. Haec vero infra. Ipsius deinde libertatem atque iura ecclesiae, quae contra imperatores tam acriter pontifices defendebant, a regulis Sardois violari eos non passos esse per se apparet. Itaque exeunte
c. a. 1090. saeculo XI Constantinus rex Caralitanus eiuratis in manus dei et b. Petri privatis vitiis suis hoc quoque polliceri coactus est, „episcopatus et ecclesias ac presbyteros in honorem dei et b. Petri canonice ordinandos se relicturum, decimasque ac primitias ab illa die in antea fideliter redditurum
p. post a. 1092. esse“[28]. Simulque eodem fere tempore Torquitorium pertinacem iudicem Gallurensem ab Urbano II anathematizatum esse legimus[29]. Sed etiam politicorum criminum iudices
a. 1146. sedi Romanae poenas dedisse constat. Ita a. 1146 Comita II Arboreae rex, qui adiutus a Genuensibus iudicatum Logudorensem per vim expugnare studebat, ipse per legatum Romanum, archiepiscopum Pisanum, regno remotus est[30]. Ceterum domesticis Sardorum rebus, quantum nos ex diplomatis intelligere possumus, XI aut XII saeculo iudicium suum papae minime interposuere; quamobrem intestinam iudicum

26) Ib. VI. p. 7 sq.

27) C. D. S. s. XIII, 2; cf. 35. 28) Ib. s. XI, 20.

29) Ib. 18; post a. 1092 id factum esse ex eo apparet, quod Daibertus ibi „archiepiscopus“ Pisanus vocatur.

30) Ib. s. XII, 41, 42, 55.

administrationem satis bene a Manno et a Tola depictam[31]) hic denuo describere supervacaneum duco. Inprimis vero postquam Urbanus II archiepiscopis Pisanis perpetuam in Sardinia legationem commisit, nullam rem ipsi pontifices ibidem videntur exsecuti esse. Ex quo maxime atque omnino semper inde a Gregorio VII usque ad Innocentium III haecce Sardoi pontificum imperii ratio fuit, ut ipsam insulam parum curantes satis haberent summam, qua sese fungi dicerent, eius potestatem ab omnibus gentibus agnosci suoque soli arbitrio a Pisanis et Genuensibus de vera Sardiniae possessione certantibus litem diiudicandam permitti. Itaque non de solida quadam possessione, sed de inani summi iuris simulacro Fridericum I cum sede Romana contendisse apparebit; sed Friderici II aetate aliam litis Sardoae naturam fuisse videbimus. — a. 1073 —1198.

At Corsicam quoque densa diu caligine oppressam Gregorius VII rursus in lucem protulit[32]); qua in re ipsos Corsos obviam habuit. Sed ipsa optime papae verba audiemus: „Scitis, fratres et karissimi in Christo filii, non solum vobis, sed multis gentibus manifestum esse: insulam, quam inhabitatis, nulli mortalium nullique potestati nisi s. Romanae ecclesiae ex debito vel iure proprietatis pertinere; et quod illi, qui eam hactenus violenter — nichil servitii, nichil fidelitatis, nichil penitus subiectionis aut oboedientiae b. Petro exhibentes — tenuerunt, semet ipsos crimine sacrilegii et animarum suarum gravi periculo obligaverunt. Cognoscentes autem per quosdam fideles nostros et vestros amicos: vos ad honorem et iustititiam apostolici principatus, sicut oportere cognoscitis, velle reverti et diu subtractam ab invasoribus iustitiam b. Petro vestris temporibus vestrisque studiis rediberi, valde gavisi sumus; scientes vobis hoc non

[31]) Manno stor. di Sard. I. cp. 7 et 8. — Tola: C. D. S. diss. III.

[32]) V. epp. Greg. ad Corsos dat. J. 3789, 3791., a. 1077 sept. 1. et 16.; — bullam Landulfo Pisano dat. J. 3827., a. 1078 nov. 30. — Jaffé bibl. rer. Germ. II. p. 289, 290, 341.

solum ad praesentem, sed etiam ad futuram provenire utilitatem et gloriam. Nec diffidere quidem aut quicquam in hac causa vos dubitare oportet. Quoniam — si modo vestra voluntas firma et erga b. Petrum fides immota permanserit — habemus per misericordiam dei in Tuscia multas comitum et nobilium virorum copias ad vestrum adiutorium, si necesse fuerit, defensionemque paratas.“ Quapropter Landulfum, episcopum Pisanum, cui etiam in spiritualibus ipse vicem suam in Corsica commiserit, ad illos mandatum esse dicit; cui ut oboediant, eos hortatus haecce addit: „Et ut magis securus magisque ad omnia inter vos promptus esse valeat, fidelitatem quoque, si postulaverit — praemissa tamen s. Petri et nostra nostrorumque successorum — non denegetis nec aliqua occasione sibi facere recusetis.“ Atque
a. 1077. haec quidem a. 1077 (a. d. 16 kal. oct.) Gregorius scripsit.[33])
sept. 16. Nos vero etiam superioribus temporibus aliquam lucem verbis eius afferri videmus. Corsos usque ad finem saeculi IX pontificum necessitudine usos fuisse monstravimus; Saracenos deinde, id quod plerique opinantur, istam insulam X saeculo tenuisse negavimus. Ac certe Gregorius alios dominos violenter ibi regnasse nos docet, Christianos quidem, sed sacrilegos, quia nihil b. Petrum curassent. „Quae nimirum insula“, ita alio loco[34]) Landulfum affatur, „a iure et dominio s. Romanae ecclesiae per quorundam pravorum hominum invasionem subtracta, prudentiae tuae studio, exclusis invasoribus, secundum antiquum morem ad dominium eiusdem Rom. ecc. revocetur.“ Sed qui tandem fuerunt pravi isti invasores? Exteras Italiae aliusve terrae gentes Corsicam invasisse nusquam relatum est. Veri igitur videtur similius, indigenas nobilium familias ad id tempus insulae imperasse; quas tunc excludere Pisani iubentur adhibitis, si necesse fuerit, multis illis Tuscorum comitum copiis. Atque hoc fere modo secundum nostrum iudicium XI saeculo pro-

[33]) J. 3791. cf. J. 3789. [34]) J. 3827.

cessere res Corsicanae. A. 1050 (Pis?), id quod primus narrat Ranerius Sardus[35]), in ultima expeditione contra Musetum facta Pisanos totam Corsicam cepisse expugnatamque episcopo suo tradidisse, posterioribus saeculis fictum esse nemo est, quin intelligat. Id vero sine dubio concedendum erit, fieri non potuisse, quin Pisani quotidie in Sardiniam euntes et redeuntes mox Corsicam quoque tangerent, adirent, ingrederentur. Tum Corsis videntur persuasisse, ut abiecta servitute domestica ditionem Pisanam salvo „principatu apostolico" subire statuerent. Neque enim dubium, quin ipsi Pisani fuerint illi „papae fideles Corsorumque amici," per quos Gregorius de mutato illorum consilio certior factus est. At pontifex laeto animo potestatis suae etiam in Corsica restituendae occasionem sibi oblatam accepit, Pisanisque, quorum opera eam nactus erat, eo magis ipsam insulam regendam commisit, quo facilius potentissimam civitatem, quae paulo ante ad partes papales se contulerat, — nam primus Landulfus „non aliunde, sed per ostium, quod Christus est," episcopatum introierat — in perpetuum tali largitione sociam in lite de investitura exorta sibi se applicaturum esse sperabat. Itaque ea lege a. 1078 sollemni inauguratione Landulfo ac successoribus eius vicem suam in Corsica commisit, ut illi „consensu Romani pontificis et electione Pisani populi ita canonice intrarent, sicut ipsum Landulfum constaret intrasse." Ceterae conditiones hae fuere: „ut medietatem Landulfus, duoque eius successores quartam partem acciperent omnium redditumm et totius pretii, quae de placitis adquireretur; ut arces et quaeque munita loca per Landulfum adquirenda in potestate pontificum permanerent, eo tenore, ut, si necessitas exegisset, custodes eorundem lo-

a. 1050. (Pis?)

a. 1078. nov. 30.

35) Ran. Sard. cron. Pis. cp. 5. Arch. stor. VI, 2. p. 77: „a. 1050 da capo li Pisani con loro isforso e con loro navilii intronno in mare per passare in Sardigna, e la fortuna li portò in Corsica .... e li Pisani preseno allora tutta l'izula di Corsica, e poi la dienno al vescovo, e poi ricoveronno la Sardigna" .... cet.

corum Pisanis episcopis, salvo iure et honore Romanae ecclesiae, oboedirent; denique ut placitis agendis semper interesset nuntius Romanus." Quibus ex rebus apparet non solum ecclesiasticam episcoporum potestatem, sed etiam politicum civium Pisanorum imperium in Corsica tum a Gregorio constitutum esse. Eandem enim illa aetate episcopi ac civitatis causam fuisse egregie Hegelius exposuit.[36]) Quin etiam postea saeculo XII et XIII ab imperatoribus quidem consules aut potestates pro civibus suis feuda accepisse, pontifices vero plerumqué cum episcopis de inauguratione egisse videbimus, ita ut Corsicam inter archiepiscopum Genuensem et Pisanum dividere idem esset, atque utrique civitati dimidium insulae administrandum permittere. Ac quoniam nusquam infra ad inquirendas domesticas Corsicae res redire possumus, hoc loco quorundam „Corsicae marchionum" mentionem facere volumus, quos medio saeculo XII cum Pisanis de possessionibus nonnullis in Tuscia sitis egisse constat.[37]) Qui quidem fortasse a comitibus istis virisque nobilibus, quos Gregorius Corsis subsidio mittere statuerat, originem duxerunt. Ac ne id quidem ducimus silentio praetermittendum esse, nobiles Corsicae viros ab illo pontifice semel „consules" appellari[38]); hoc vero nomen minime ad urbanum quendam magistratum, qualis ineunte saeculo XII in liberis Italiae civitatibus enatus est, spectare per se apparet; etenim honorifica „consulum" appellatio usque ad XI saeculum paene ubique in Italia nobilibus dari solebat.[39]) Utrum vero nobiles Corsicani se ipsi consules appellaverint, an tum

---

36) G. d. Stv. v. It. II. p. 138.

37) V. dippl. ap. Murat. Ant. It. III. p. 1161, 1165; Ant. Est. I. p. 230.

38) Prima epistola (J. 3789) inscripta est: „Omnibus episcopis, clericis, consulibus maioribus et minoribus in ins. Cors. consistentibus".

altera (J. 3791) inscripta est: „Omnibus episcopis et viris nobilibus tam maior. quam minor. i. i. C. c."

39) V. Hegel, G. d. Stv. v. It. I. cp. 2, V. p. 304—315.

semel a Gregorio istud nomen iis impositum sit, nos hodie diiudicare nequimus.

Ecclesiam Romanam Sardiniae Corsicaeque principatum habere Gregorius VII non ipsis solum incolis illarum, sed universae Italiae probaverat. Iam vero quaerendum videtur, quibus ille argumentis ius suum confirmaverit. Minime quidem Sardiniam a Benedicto, Corsicam a se ipso tanquam res nullius occupatas esse confitetur; sed revocasse tandem illas ad debitam b. Petro oboedientiam pristinaeque earum proprietatis ius restituisse sibi videtur. Ac talibus verbis simulatam Constantini donationem maxime eum significasse censeo; hac enim nisus paulo ante Leo IX „Romanam urbem a. 1054.
et omnes Italiae seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates“ s. ecclesiae vindicarat[40]); eandemque doctrinam a. 1091 Urbanus II. disertis his verbis ad ipsam Corsicam a. 1091.
traduxit[41]): „Cum omnes insulae, secundum statuta legalia, iuris publici habeantur, constat etiam eas religiosi imperatoris Constantini liberalitate ac privilegio in b. Petri vicariorumque eius ius proprium esse collatas. Intercedentibus autem plurimis divina dispositione iudiciorum calamitatibus, proprietatis huius in quibusdam passa est Romana ecclesia iacturam. Ceterum et canonicis et legalibus institutis Romane dignitatis ecclesie proprietas non prolixitate temporum, non divisione regnorum ulla diuturnitate possessionis excluditur. Licet igitur annis plurimis Romana ecclesia Corsice possessione caruerit, predecessoris tamen nostri Gregorii VII [aetate][42]) in eiusdem ius noscitur auctore domino rediisse.“ Attamen vanis eiusmodi vindiciis nunquam se imperatoribus totam Italiam cum insulis adiacentibus erepturos esse ipsos pontifices fugere non poterat. Etenim iam Otto III „commenta ista sub titulo M. Constantini ficta“ graviter conquestus erat[43]). Itaque utilius esse illi arbitrabantur, terras,

40) J. 8286. 41) J. 4066.

42) Videtur excidisse ‚aetate‘ sive simile quid.

43) Pertz. M. G. leg. II B. p. 162.

quas nuper occupaverant, ab ipsis imperatoribus Romano-germanicis sibi traditas esse videri. Illa igitur aetate famosas istas Ludovici Pii, Ottonis I, Henrici II donationes fabrefactas esse recte doctissimi viri concluderunt ex Beneventi, Neapolis, Calabriae, Siciliae nominibus, quae ibidem leguntur[44]). Neque alia Corsicae aut Sardiniae ratio est, quarum illa apud Ottonem atque Henricum, utraque apud Ludovicum quasi donata nobis occurrit. Ac quam perverse id fictum sit, quantum saltem ad Sardiniam, supra exposuimus; hic vero id tantum volumus denotare, haudquaquam impune talibus praestigiis sedem Romanam sese tueri studuisse. Neque enim solum spuriis donationibus adulterinas restitutiones altera pars opponere potuit, id quod reapse factum est commenticia illa donationum cessione Leoni VIII adscripta[45]), qua utraque insula imperatoribus reddita esse dicitur; sed, quoniam imperatoribus bona et possessiones imperii nonnisi in vitae suae tempus conferendi ius competisse constabat, ita ut donatore defuncto res ipso iure ad rempublicam reverterentur[46]), tum nonne suo iure Fridericus I aut II Sardiniam, quae re vera neque Carolis neque Ottonibus unquam subiecta fuerat, tanquam avulsum imperii membrum revocare sibi videbatur?

Ante Fridericum I summum Sardinia et Corsicae imperium nullus, quantum nos scimus, imperator sedi Romanae eripere conatus est. Itaque hic breviter tantum nos explicare debemus, quemadmodum adversus Pisanos et Genuenses illo imperio pontifices usi sint. Ac primum quidem continuante adhuc magna contentione, quam de investitura cum Henricis habebant, maximis Pisam muneribus cumulare non cessarunt. Vicariatum Corsicanum Landulfo a Gregorio con-
a. 1091. iun. 28. cessum Urbanus II a. 1091 Daimberto episcopo eiusque successoribus canonice eligendis hac sola lege confirmavit, „ut

44) Murat. annal. ad a. 1059. Pertz. l. c. p. 7, sq. p. 159 sq. Sugenheim, Gesch. der Entst. des Kirchenstaats c. II in fine, p. 76.

45) Pertz. l. c. p. 168. 46) Ib. p. 161.

per annos singulos Lucanae monetae librae L Lateranensi palatio persolverentur"[47]. Quin etiam postero anno eundem a. 1092.
Daimbertum Corsicae archiepiscopum constituit[48]. Quas ad apr. 21.
largitiones faciendas, etiam Mathildis comitissae precibus commotus, hac tamen causa maxime sese adductum esse papa confitetur, „quia in tanta tamque diuturna schismaticorum tempestate Pisanorum gloriosa civitas multis iamdudum laboribus et obsequiis s. Romanam ecclesiam sibi fecisset obnoxiam." Praeterea Sardiniae quoque legationem perpetuam episcopis Pisanis ab Urbano concessam esse constat[49]; quae quanquam minime ecclesiam Sardam iis subiecit, magnopere tamen auctoritatem Pisanam ibidem corroboravit. Paschalis deinde II Daimbertum, qui bello sacro patriarcha Hierosolymitanus electus erat, semper adversus aemulos sustentabat inimicos[50]. Eodemque pontifice probante postea Petrus a. 1100
episcopus gloriosae Pisanorum expeditioni adversus Yvizam --1107. a. 1113–14
et Maioricam, Museti olim regna, susceptae ducem se prae- (14—15?)
buit[51]. Neque minorem Gelasius II Pisanis exhibuit benevolentiam. Qui quum a. 1118 illorum ope adiutus in Galliam confugeret, totum mensem Pisae commoratus[52] non solum a. 1118.
Corsicae possessionem denuo iis confirmavit[53], sed etiam sept. ine. –oct. ine.
iterum atque in perpetuum sedem Pisanam archiepiscopali ornavit dignitate[54].

---

47) J. 4066. 48) J. 4078.

49) V. bull. Inn. II. J. 5635: „Legationem quoque Sardiniae a praedecessore n. pp. Urbano praedecessoribus tuis concessam" cet.

50) J. 4365. 4485, 4584. 51) Laur. Vernens.; Marago ad a. 1114—15.

52) J. 4896—99. 53) V. bull. Honor. II. J. 5242.

54) Petrus diac. in chron. Casin. IV c. 64. Gelasium tum grato animo „primum in eadem urbe archiepiscopatum instituisse" narrat. Itemque is, qui „Gesta triumphalia Pisanorum" conscripsit, ex illa Gelasii largitione invidiam Genuensium originem duxisse dicit. (Mur. Sc. VI. p. 106.) Accedit, quod Petrus, qui Daimberto successit, superioribus annis, etsi ab aliis nonnunquam archiepiscopus appellabatur, ipse tamen tanquam episcopus subscripsit, archiepiscopi vero nomen inde ab a. 1118 sept. 29. sibi imposuit. (V. dippl. ap. Mur. Ant. It. III. p. 1109—1128). Personalem igitur solam archiepiscopi dignitatem antea Daimbertus ab Urbano accepisse videbatur.

Haec vero graviora erant, quam quae aequo animo ferre posset civitas Genuensium. Hi quidem iam XI saeculo sae-
a. 1065 pius cum Pisanis arma contulerant[55], quanquam alias** iunctis
(6?), 1071 (2), 1076–7 utrique classibus contra Saracenos pugnare consuerant[56]).
(7—8?) Tunc vero et ipsa Genua magnas bello sacro opes collegerat;
**a. 1088, 1114 (5). quumque maiore etiam, quam Pisa, frueretur libertate domestica[57]), fieri non potuit, quin tandem nimiae illius potentiae vehementer irata sese obiiceret. Neque diu a Sardinia, qua iniuste olim se privatos esse sentirent, manus videntur abstinuisse Genuenses. Ineunte sane saeculo XII ipsi plane iisdem usi artibus, ac Pisani, ex civilibus iudicum contentionibus quaestum facere solebant[58]). Sed legationem Sardiniae adeptos illos iter ipsis praecepisse et nunc etiam Corsicam iteratis paparum donationibus plane occupatam tanquam
a. 1119. arcem Gennae opposuisse videbant. Itaque a. 1119 res ad arma venit[59]). Atque urgente necessitate auctas esse Ge-
a. 1120. nuensium vires ipse docet belli eventus. Etenim iam a. 1120
sept. 14. Pisani pacem de lite Corsicana secundum illorum voluntatem iuraverunt. Ecce vero perfida pontificum consilia! Namque
a. 1120. Calixtus II revocata, quam octo mensibus ante Pisanis de-
mai. ine. a. 1121. derat, Corsicanae donationis confirmatione ineunte a. 1121
ian. 3. Corsos ab omni illorum obsequio solutos „solius Romani pontificis in oboedientia et subiectione atque consecratione in perpetuum manere" iussit[60]). Ad quod faciendum petentibus Corsis et Romanis se impulsum esse dicit. Illos enim imperii Pisani iam pertaesos fuisse minime mirandum est; clerus vero Romanus magnum „detrimentum amissa insula se passum esse" moleste ferebat. Sed Genuenses quoque novo Calixti consilio affines fuisse certissimum est; hi enim certe ei persuaserant, Pisanum Corsicae imperium „totius scandali

55) Marago. ad a. s. c. 56) Marag., Laur. Vern.

57) Cf. Hegel. II. p. 183.

58) Dona a iudicibus Pisae oblata: C. D. S. s. XII, 1, 2, 6, 19, 20, 23, 25. cet.; Genuae ib. 3, 4, 5, 27, 29, 31. cet.

59) Cafari annal. M. G. Sc. XVIII. p. 15; Marago. 60) J. 5028.

et guerrae causam et seminarium“ esse. Atque eodem anno legatos Genuensium „pro negotio Corsicano“ Romam venisse reperimus, quibuscum revera non ignobilem papa mercaturam fecit. Ipsi enim MCC marcas arg. ac praeterea curiae et a. 1121.
nobilibus Romanis ditissimas pensiones mense novembri se nov. 11, iun. 16.
soluturos esse a. d. 16 kal. iul. legati polliciti sunt. Econtra papa se Corsicam in perpetuum Pisanis ereptam soli sedi apostolicae subiecturum promisit; ab armis deinde ad tuendam s. sedem susceptis ne Genuenses nisi ipsius nutu moniti discederent, imperavit[61]).

Iterum deinde bellum exarsit. Tum vero Calixtus utramque partem mense martio a. 1123 ad concilium Lateranense a. 1123. mart.
convocavit. Ubi illa Genuensium pecunia corrupti patres iterum Corsicanum ecclesiae Pisanae privilegium tanquam iniustum abrogarunt. Quo facto archiepiscopus Pisanus mi- apr. 6.
tra anuloque ad pedes papae proiectis „ulterius se archiepiscopum et episcopum illius non futurum esse“ exclamavit.[62]) Irati Pisani, Genuenses gaudio exsultantes domum profecti sunt. „Nec facilitati,“ dixit Calixtus, „nec iustitiae deputandum esse, si quandoquidem pro rerum necessitate diverso licet modo aliqua disponerentur.“ [63]) Sed quae fuit ista rerum necessitas? Certe non solum numorum corollarium, quod clerici nobilesque Romani a Genuensibus acceperant; hoc enim certamine vix futurum fuisse puto, ut Pisani ab illis vincerentur. At dirempta tandem controversia, quam de investitura cum Henrico V habuerat, Calixtus porro se Pisanorum benevolentiam capere non debere ratus periculosam unius tam vicinae civitatis potentiam prolatis auctisque aemulorum opibus callide maluit opprimere. Exinde vero Genua Guelpham ecclesiae partem, Gibellinitatem Pisa maxime secuta est; serumque sed iustum pro illo concilio supplicium Pisanis videntur dedisse plurimi isti praelati, quos CXVIII annis

---

61) V. append. ad annal. Genuens. M. G. Sc. XVIII. p. 856.

62) J. 5138; Cafar. p. 16. 63) V. J. 5028.

Digitized by Google

a. 1241. mai. 3. post, quum frustra Genuensium armis freti alterum peterent concilium Romanum, haud procul a Corsica[64]) captos ipsi iussu Friderici II dirae damnavere vinculorum calamitati.
a. 1124—30, 1132. Sed tunc quidem prosperrime Genuenses cum illis bellum continuarunt, cuius sedem Corsica praecipue et Sardinia atque adiacentia maria praebebant[65]); neque quidquam Pisani
a. 1126. iul. 21. eo profecerunt, quod ab Honorio pp. II a. 1126 integram Corsicae restitutionem impetrarent.[66]) Itaque Innocentius II
a. 1130. demum, qui iam antea ad indutias ineundas utramque civitatem adduxerat[67]), postea e Gallia redux firmam tandem pacem componere potuit. Septentrionalem tum Corsicaè
a. 1133. mart. 19. partem Genua accepit, eiusque episcopo ad archiepiscopalem dignitatem promoto Marianensis, Nebiensis, Acciensis episcopi suffraganei subiecti sunt.[68]) Quod quidem damnum Pisanis mox aliis privilegiis compensatum est. Etenim praeter meridionalem Corsicae partem, episcopatus scilicet Aleriensem, Adiacensem, Sagonensem, Innocentius Populoni-
a. 1138. mai. 1. ensem quoque episcopatum nec minus Galtelinensem ac Civitatensem in Gallura sitos iis subiecit, Turritanae insuper provinciae primatu adiecto confirmataque Sardiniae legatione[69]).

Neque a sequentibus pontificibus usque ad Friderici I aetatem utriusque iura civitatis ad insulas nostras spectantia
a. 1133—1162. ulla lege mutata sunt[70]). Nec minus inter se per XXX fere annos illae in pace vivebant. Remanebant autem velut futurarum semina discordiarum ambiguae adhuc res Sardoae. Corsicae quidem dimidium et bellica hostium virtute et mobili sedis apostolicae mente sibi ereptum passi Pisani non tamen adeo viribus infirmi erant, ut Sardiniam quoque ullo

---

64) Inter Cylium s. Zigium (Giglio) et Montem Christi; v. Barthol. scrib. ann. M. G. XVIII. p. 197; ep. Bartholom. praedicat. ap. Hormayr.: Chron. v. Hohenschwangau; Dal Borgo diss. I a, 209.

65) Cafar. p. 16—18. 66) J. 5242. 67) Cafar. p. 18.

68) J. 5448. 69) J. 5635.

70) Cf. J. 6247, 6680, 6681, 6979.

modo cum Genuensibus partiri vellent. Quo factum est, ut, quum a. 1149 novum foedus utraque civitas iniret, quo domo bellique „bonam societatem se habituros esse" pollicerentur, solam Sardiniam Genuenses de sacramento pacis eximerent; „de qua", aiunt, „Pisanis nullo modo hoc sacramento tenebimur, quin nos possimus adiuvare et eis nocere, si voluerimus."[71]) Tunc vero septentrionalibus iudicatibus per Pisanos annuente Innocentio exclusi meridionalem insulae partem atque Arboreenses praecipue regulos clam interim ad studium sui trahere conati sunt; qua in re quantum paulo post profecerint, sequenti capite erit explicandum. a. 1149.

Tali igitur ratione pontifices Romani usque ad medium saeculum XII nulla imperatorum intercessione turbatos ad libidinem summum utriusque insulae imperium egisse vidimus. Tum vero praeter opinionem subito oritur certamen.

CAPUT IV.

De Staufensium conatibus in Sardiniam factis.

Fridericus I, qui toto animo et studio omni ad restituendum in Italia imperium Augustale incumbebat, Sardiniam quoque, simulatque regno potitus est, imperio vindicare non dubitavit. Etenim iam exeunte a. 1152 Guelfoni VI una cum Spoleto, Tuscia, heredio Mathildis etiam „principatum Sardiniae" in beneficium tradidit; quamobrem ille postea „Guelfo d. g. dux Spoleti, marchio Tusciae, princeps Sardiniae, dominus domus comitissae Matildis" appellabatur[1]). Quibus a. 1152 exe.

[71]) Dal Borgo, raccolta di diplomi Pisani. 1765. p. 311. — „a. 1150" stil. Pis., nam „ind. XII" a. 1149 indicat. — V. Cafar. p. 32. notul. *e*; ubi minus accurate legitur 1150.

[1]) Iam in privil. Treviris a. 1152 dec. 29. Cameracensi eccles. a Frid. dato Guelfo illis titulis inditus testis nobis occurrit; v. Miraeus opp. dipl. et

vero argumentis Fridericus ius Sardiniae ad imperium pertinere sibi persuaserit, ipse nobis non explicuit. Veterem illius insulae historiam certe parum habebat exploratam, neque omnino tum cuiquam intermissa tot absconditorum caligine saeculorum, qualis illius conditio Carolorum tempore fuisset, intelligere licebat. Sola quae huic rei lucem afferre poterat, curia pontificalis fictis donationibus obscuritati etiam errorem addiderat, quo ipso, sicuti supra memoravimus, postulatio imperatoris quodammodo firmabatur. Sed ut melius, quid ille de Sardinia senserit, cognoscamus, id inprimis videtur premendum, quod una cum magnis istis beneficiis, quas Mathildis tenuerat, eiusdemque allodiis eam nunc Guelfoni tribuit; namque ex hac re apparet ipsum Sardiniam quoque beneficialium magnae comitissae possessionum partem duxisse. Ac quanquam neque illa neque reliqui Tusciae marchiones, quantum nos scimus, unquam rebus Sardois videntur sese interposuisse, tamen florente in insula nostra auctoritate Pisanorum, quoniam hi leni quidem sed iusto marchionum imperio obnoxii erant, ipsi Tusciae Sardinia iuncta fuisse dici poterat. Neque vero ulla in magna lite Mathildica mentio facta erat insulae nostrae; nimirum, quum imperatores iure eam litem non nisi de „domo Mathildis" agi contenderent, pontifices autem istam quidem causam etiam ad beneficia extendentes Sardiniam tamen, quam aliis rationibus tute suam esse cernerent, illo insuper incertissimo nomine reposcere supervacaneum ducerent. Ac tum quidem Pisani novissimis sedis apostolicae muneribus maiorem, quam unquam antea, potestatem adversus Sardos nacti erant; itaque Fridericus illud Pisanae potentiae fundamentum „principi" suo subiiciens tam libertatem opulentissimae civitatis, quam ubique suspectam habebat, restringeré, quam imperio novam provinciam sedi Romanae ereptam adiicere sibi videhist.

hist. I. p. 182; eodem anno oct. 18. nondum inauguratus erat; v. dipl. ap. Murat. Ant. It. V. p. 211. — cf. Murat. Ant. Est. I. p. 297 sq.

batur. Similique modo Corsicam quoque, sicut infra videbimus, recuperare voluit. At, quoniam utriusque insulae re vera Pisa et Genua potestatem habebant, in his duabus civitatibus omnis consiliorum eius eventus situs erat. Id igitur praecipue considerandum erit, qualem adversus illas imperator se gesserit; qua in re tractanda cetera notissima leviter tangentes ea tantum maxime intuemur, quae ad Sardiniam videntur pertinere.

Iamque in prima expeditione Italica Fridericus utriusque civitatis legatos Roncaliae honorifice excepit; etenim iam a. 1154.
tum maiorem iis honorem, quam ceteris Italiae civitatibus, nov.
tribuere studuit, quia earum copiis navalibus postea sibi utendum fore intelligebat ad exsequenda ea, quae contra Siciliam moliebatur.[2]) Quamobrem etiam capta Dertona soli a. 1155.
Genuenses impune, quominus tributum solverent, recusa- apr.
bant; Pisani vero pariter ad resistendum parati cunctis viribus urbem suam munire coeperunt „pro timore Friderici regis Romam venientis.“ At imperator tum plane negotiis Romanis impeditus utramque civitatem intactam relinquere coactus est priusque in Germaniam rediit, quam aut Guelfoni a. 1155.
Tusciam tradere aut quidquam de insulis nostris peragere sept.
posset. Postquam deinde iterum in Italiam profectus est, a. 1158.
tum iam perspicue diversa utriusque civitatis conditio appa- iul.
ruit. Pisani enim statim iubenti imperatori auxilia in obsidionem Mediolani miserunt; Genuenses vero, qui duobus annis ante foedus cum Mediolanensibus ac Dertonensibus a. 1156.
inierant[3]), quanquam illos aperte adiuvare non audebant,

---

[2]) Cafar. et Marag. ad a. 1154. 1155: „Imperator multa secreta consilia de honore regni et Ianuensis civitatis legatis aperuit et ultra omnes civitates Italiae honorem Ianuensi civitati facere promisit“. — „Interea Pisanorum civitas et legati eius honorem habuerunt super omnes civitates Tusciae“.

Quaecunque sequentibus narrabimus, nisi alios fontes notae nostrae indicabunt, usque ad a. 1174 partim ex Maragone, partim ex Cafaro atque Oberto, posteriora ex solis Genuensium scriptoribus, Otobono, ceteris hausta sunt.

[3]) Lib. iur. Ian. I d. 232—3, II d. 6. (Mon. hist. patr.)

a. 1158. nov. suam tamen civitatem in magno conventu Roncaliensi de obsidibus dandis dimittendisque regalibus, denique de quolibet debito vel onere excepta sola fidelitate exemerunt. Quumque interea urbem suam diligentissime munirent, imperator pacem bello prudenter praeferens paulo post Bosci pactionem cum iis confecit, qua nihil nisi sacramentum fidelitatis, regalia deinde, quae ipsi iure deberi cognoscerent, denique marcas arg. MCC ab iis impetravit. Hanc vero pecuniam celeberrimus illarum rerum scriptor Fridericus a Raumer[4]) ob eam causam illis irrogatam esse censet, quia imperatorem in insulis nostris capiendis ullo modo se adiuturos esse negassent. Quod quidem neque in fontibus invenies neque omnino ita fuisse credendum est. Namque eodem a. 1158. dec. cc. tempore Fridericus serio ad illas animum advertens Conradum episcopum Eistetensem et Emichonem comitem imperio eas anexuros in Sardiniam et Corsicam misit, ipsisque Pisanis et Genuensibus — adeo rerum imperitus erat — legatos suos illuc conducendos commendavit.[5]) Nec profecto tam stulte Genuenses egisse putaverim, ut palam ac diserte consilio imperatoris resisterent, quamvis re vera illi obiicere potuissent id, quod ipse pacto Boscensi promiserat, nullo modo sese turbaturum, quidquid Genuenses „tenerent vel possiderent, iuste vel iniuste.“ Econtra utilius duxit utraque civitas clam atque insidiose efficere, ut ista legatio omni careret eventu; quod quidem, qui cum imperatore erant, haudquaquam non perspiciebant.[6]) At si Pisani et Genuenses satis habere poterant Friderici conatus re vera occupandae utriusque insulae ad irritum vocari, tamen papae, qui ipse tum nomine tantum illarum imperium gerebat, ne va-

[4]) Gesch. d. Hohenstauf. II. p. 108. ed. 2.

[5]) Radevic. II c. 9. Mur. Sc. VI. p. 791.

[6]) Id. ib.: „Verum quamobrem ea legatio sine efficacia remanserit, coniicient ii, quibus notum est, in quantis emolumentis Pisanis et Ianuensibus insula Sardinia prostituta est; unde non incongrue putatur illorum arte et falsis occasionibus iter nunciorum fuisse impeditum“.

num quidem titulum ab imperatore affectari interesse debe-
bat. Itaque Hadrianus IV missis legatis praeter terram Ma- a. 1159.
thildis ac ducatum Spoletanum aliaque plurima Sardiniam
quoque et Corsicam tanquam possessiones b. Petro restituen-
das repetiit.[7]) Tunc igitur primum contentio Sardoa oritur,
quae tamen paulo post defuncto Hadriano, quum deinde ma- sept. 1.
gnum illud schisma graviora bella protulisset, ad tempus
sedata est, donec Friderici II aetate maiore cum vi iterum
exarsit. —

At imperator adversario liberatus Guelfoni nunc reapse
Spoletum, Tusciam, allodia Mathildis tradidit[8]), novumque a. 1160.
ducem Tuscia honorifice recepit; quin etiam ipsa Pisa domi- mart. mart. 27.
nica paschali fidelitatem ei iuravit.[9]) Num quid tum de Sar-
dinia egerint, incertum; id solum constat, Guelfonem nullum
unquam ex illo principatu fructum percepisse, praesertim
quum haud multo post etiam nomine principis Sardiniae a. 1165.
ab ipso imperatore privaretur. At Pisani illo tempore dili-
gentissime partes Friderici secuti non solum commoda, quae
Graeci iis offerebant, dummodo ne illum contra ipsos adiu- a. 1161.
turi essent, recusavere, sed etiam Alexandro papae suoque a. 1162.
ipsorum archiepiscopo Villano, qui cum illo Roma venerat, ian.
„propter amorem et pavorem Friderici“ aditum denegarunt;
qua re magnum schisma per aliquot annos in suam quoque
ecclesiam transtulere[10]). Neque vero imperator tantae fide-
litatis immemorem se praestitit; etenim brevi „post destru-
ctionem Mediolani“ amplissimo privilegio civitatem condo-
navit[11]), quo non modo libertatem reipublicae, quam frustra apr. 6.
armis Mediolanenses expugnare temptaverant, ultro Pisanis

---

7) Id. II c. 30, ib. p. 810.

8) Monach. Weingart. ap. Leibnitz. Scr. I. p. 790.

9) Marago recte quidem a. 1160, diem falso 26. affert.

10) Nihil ipsius Alexandri adhortatio valuerat. v. J. 7178.; cf. de schismate Pisano Maragonem passim atque ubique nec non epistolas Alexandri: J. 7574, 7721, 7733, 7741, 7861, 7873.

11) Dal Borgo: raccolta. n. XII. p. 32 sq.

offerret, sed etiam in feudnm iis daret et concederet, nt ipsa diplomatis verba proferam, „totum, quod civitas Pisana vel quaelibet persona habet et tenet de rebns regni, et totum, quod regno et imperio pertinet sive de Marcha vel alio quocnmque modo vel consuetudine vel pertinuit retro a XXX annis vel pertinebit in civitate Pisana et eius districtu per terras et insulas.“ Quae, licet Sardiniae ant Corsicae mentio nulla facta esset, tamen impune Pisani ad illas quoque trahere poterant. Veram autem tam eximiae munificentiae causam ea praebuere, quae Fridericus contra Guilelmum Siciliae regem mente agitabat. Maiora etiam Pisanis, si illorum classibus istam insulam expugnasset, se daturum pollicebatur. Neque tamen contra illum solum foedus fecerunt, sed etiam Genuensibus bellum iunctis armis inferre statuerunt. Hi enim iram imperatoris excitarant, quum legatis eius Alexandrum exposcentibus repulsam dantes papam praesidio
mart. 25. suo tectum in Provinciam conduxerant[12]. Nunc vero mise-
mart. 26. randa superborum Mediolanensium clade et ipsi vehementer perterriti Genuenses[13] ulterius resistere nolentes „ad oboediendum omnibus praeceptis semper se paratos fuisse vel esse, sine fraude“ imperatori nuntiarunt. Quo nuntio accepto Fridericus, qui minime id agebat, nt alterum fortasse maius Mediolauum superandum sibi pararet, simnlque Genuensinm copiis navalibus ad bellum Siculum nti ratus, his qnoque
a. 1162. iun. 5. iisdem fere conditionibus, ac cum Pisanis egerat, Ticini benigne pactum concessit[14]. Permittuntur iis regalia, possessiones confirmantur, plurimis insuper iuribus donisque in expugnanda Sicilia promissis. Sed ne hoc quidem loco de Sardinia aut Corsica quidquam aperte. Arma deinde ad bellum Siculum gerendum sese paraturos esse iureiurando dato

---

12) Marag. p. 26. cf. J. p. 684—5; ep. Alex. J. 7191.

13) Praeclare excelsus scriptor Cafarus ingens illud pondus depingit, quo tota Italia audita clade Mediolanensi oppressa iacebat. v. M. G. XVIII. p. 81—82.

14) Lib. iur. Ian. I d. 236.

Digitized by Google

consules pollicentur[15]), quamvis inviti, quippe, ne lucra quietae mercaturae incerto belli eventu perderent, veriti[16]); promptioribus sine dubio animis in bello Saracenis Hispanicis inferendo inque expugnandis Balearibus imperatorem se adiuturos spoponderunt[17]); nam usque adeo consilia Friderici prodiere „secundum voluntatis suae propositum, quo non solum in terra, sed etiam in mari gloriam et honorem Romani imperii dilatare modis omnibus et corroborare intendebat ac desiderabat.“ Miranda consilia! Hac enim maritimarum rerum infirmitate semper ad id tempus imperium laborarat. Quid tunc melius, quam istis copiis navalibus, quas ab imperio paene liberae Pisa ac Genua sibi paraverant, conniti ad augendum ipsum imperium? Econtra obsoleta concedere regalia inanemque Sardiniae Corsicaeque vindicationem postponere nonne operae pretium fuit? An quibus armis istae insulae expugnari poterant, nisi solis Pisanorum aut Genuensium? Attamen bella navalia exteris gentibus inferenda pacatas postulant res domesticas; itaque factum est, ut omnia ista proposita imperante saltem Friderico proposita tantum manerent. Ac tunc quidem extemplo inter ipsas illas civitates insatiabilis invidia denuo saevissima peperit bella. iun. 9.

Quorum quidem ansam dedit facinus illud a Pisanis Constantinopoli commissum, summam tamen veramque causam praebuit Sardinia. Itaque in litteris bellum indicentibus scripsere consules Genuenses: „Expulsionem Sardinie, quam de manibus Saracenorum nostra civitas liberavit, ultra non ferimus“. At Fridericus legatis utriusque civitatis Augustam Taurinorum convocatis, ut armis discederent, donec ipse e Germania redux pacem componeret, imperavit. Ac tunc re vera remotis interim inimicitiis utraque civitas ad expeditio- a. 1162. aug.

15) Ib. d. 238.

16) Oberti ann. M. G. XVIII. p. 57: „Exercitum, quem civitas nostra super Guilielmum regem Sicilie invita et coacta facere promiserat“.

17) L. iur. Ian. I d. 237.

nem Siculam faciendam arma parare coepit; sed protinus, quominus pax fieret, prohibuit ipsa Sardinia. Ibi enim e septentrionalibus insulae provinciis plane exclusi Genuenses iam pridem Arboreenses iudices secum coniungere tempta-
a. 1131. verant. Comita rex Arboreae a. 1131 Turritanum quoque iudicatum expugnare cupiens se ipsum regnumque suum illis,
a. 1135. si auxilium ipsi praestarent, dediderat; sed paulo post a Balduino archiepiscopo Pisano iudicatu turpiter demotus fuit[18]. Nunc vero Paraso sive Bareso[19], Comitae filius, haud minore, quam pater, ambitione affectus totam insulam novis tumultibus perturbavit. Nam dum ipse Turritanae provinciae insidias struit, alterum Baresonem Turbini Calaritani quondam usurpatoris filium contra Petrum legitimum iudicem Caralitanum adiuvat. Pulsum Petrum frater Bareso rex Turritanus
a. 1163. Caralim reducit[20], Baresonem Turbini filium excipit rex Ar-
mart. a. 1164. boreensis. Sequenti vero anno Turrensis et Calaritanus bello
iue. Arboreae illato ipsum regem Baresonem in summas adducunt angustias. Quumque illi amicis patronisque tum uterentur Pisanis, fieri non potuit, quin hic statim patris exemplum secutus Genuensium partes sequeretur. Sed etiam maiora se consecuturum sperabat, si imperatorem ipsum adiret.
a. 1164. Mittit igitur legatos, qui a Genuensibus Parmam deducti
mart. exe. haecce imperatori proponunt: Baresonem, si ab illo rex totius Sardiniae factus foret, insulam pro imperio tenere velle simulque IV milia marc. arg. illi soluturum[21]. En opportuna oc-

18) C. D. S. s. XII, 41, 42, 55. — L. iur. Ian I, 28—30.

19) „Parason, Barusone, Baresonus, Bariso, Bareso" cet.; nos hac Genuensium scribendi ratione vulgo notissima utemur. — Regnum Bareso susceperat a. 1147. v. C. D. S. s. XII, 57.

20) Marag. ad a. 1164 (pis.) sq.

21) Ita Obertus cancell., quod diplomatis confirmatur; parum recte Marago „XV mil. libr. inter aurum et argentum" promissa esse vult. Atque omnino e tam contrariis saepe utriusque partis relationibus verum excerpere admodum videtur esse difficile; attamen nos panca ista, quae supra narramus, certissima putamus. Quantum autem ad pecuniae magnitudinem, Genuenses, qui hanc ipsam diligentium more creditorum accuratissime notarunt, sequi debemus.

casio sine ullo negotio immo haud parvo cum quaestu obtinendi imperii Sardoi, quod antea frustra Fridericus perferre conatus erat. Itaque sine ulla dubitatione Baresonis propositum accipere statuit Pisanosque primum, ut erat rerum Sardoarum plane ignarus, regem accersere iubet. At illi vehementer indignati, quod ille „ad honorem et exaltationem imperii" postulaverat, tanquam „contra honorem urbis suae" facere recusarunt. Eo igitur paratiores Genuenses legatos imperatoris Oristanum ducunt postcaque Baresonem Ticinum apr. mai. in curiam illius transportant. Ibi corona Genuensium sumptu parata novus „rex Sardiniae", imperio fidelis, induitur[22]). a. 1164. aug. 3. Qua in re peragenda nequaquam Fridericus forti Pisanorum intercessione impediri potuit. Sed maxime videtur operae pretium esse, quibus tum rationibus suam quisque sententiam defendere studeret, paucis explicare; ita enim, quid illo tempore sibi voluerit quaestio Sardoa, optime discernes. Quodsi annales Genuensium tradunt, Pisanos imperatori dixisse: Sardiniam suam esse, illum igitur Baresonem „regem de alieno facere", id certe non ita interpretandum erit, ut illi aperte negarent ad imperium pertinere summam Sardiniae potestatem. Etenim, sicuti duobus annis ante omnes possessiones suas Pisa a Friderico confirmari voluerat, neque multo a. 1162. post ipsam insulam magno pretio dato libenter ab eodem in a. 1165. feudum accepit, ita ne tunc quidem futurum fuisse censeo, ut, quominus sibi ipsi illa pro imperio tenenda traderetur, recusaret. Minime igitur Sardiniam plane alienam ab imperio esse contendebant, sed intra imperium istam provinciam immunem, id quod revera secundum privilegia sua affirmare poterant, sibi subiectam esse volebant. Id igitur maxime Friderico obiicebant, haud adeo illum intestinas res suas turbare posse, ut „hominem ac rusticum" ipsorum novo regno condonaret. Indignum enim corona esse Baresonem,

22) Dies 3. aug. pariter ex Oberto celar. atque ex Acerbo Morena constat. v. M. G. XVIII. p. 58 et 643; aliter Marago. (iul. 10.)

qui Pisae ipse „fidelitatem fecisset". Quibus callide responderunt Genuenses, iudicem Arboreae adeo non hominem esse Pisanorum, ut plurimi cives Pisani vassallorum ratione ei subiecti in regno eius viverent. Ita autem utraque pars partim vera partim falsa dicebat. Haec enim illa aetate fuit anceps iudicum conditio, ut, licet singulos cives aut Pisanos aut Genuenses, quibus domicilia in regnis suis concesserant, tanquam clientes vel vassallos sibi subiectos tenerent, tamen ipsi eodem iure Pisanae maxime civitati aut nonnunquam Genuensi quasi fideles oboedirent. Hoc igitur modo quin Bareso quoque Arboreensis, id quod ceteros saltem iudices illo tempore fecisse constat, Pisanis antea fidelitatem iuraverit, nequaquam dubitandum esse arbitramur; quanquam certe non tam simplex fuit illius regis conditio, ut breviter rusticus Pisanorum dici posset. Sed Friderico illum non esse hominem Pisanum facile Genuenses probarunt, magisque etiam alterum eorum argumentum ipsi placere oportuit: Sardiniam iure non esse Pisanorum, sed Genuensium; hos enim Musetum olim Calari expulisse captumque imperatori tradidisse, „ut princeps Romanus cognosceret regnum istius regis esse nuper additum et adiunctum dicioni et potestati Romani imperii per fideles et homines suos Genuenses." Praeclaram Genuensium modestiam! Sibi nonne nihil postulare videbantur? Neque Fridericus ideo Pisae Sardiniam abiudicavit, ut eandem statim Genuae tribueret; sed ultima illa verba Genuensium suscepit maxime optata Pisanisque respondit: „Non cognosco terram illam insulam Sardinie vestram esse, nec verum esse credo, immo imperii esse puto." — Irati Pisani curia discessere; Baresonem vero imperator non prius dimisit, quam promissum IV milium marc. arg. pretium, quod ipse extemplo solvere nequibat, Genua suppeditavit.

Sunt, qui existiment sola avaritia Fridericum adductum esse, ut Baresonem regem Sardiniae faceret[23]; quod equi-

[23]) H. Leo. Gesch. v. Ital. II. p. 86.

dem nos probare nequimus. Quanquam enim tum, pessime compositis rebus ad vectigalia pertinentibus, undique imperator pecuniam sumere debebat, hac tamen re aliud multo maius consilium, quod semper mente agitaverat, exsequi voluit. Nunc enim tandem vanam istam donationem Guelfoni factam irritamque, quam ipse mandaverat, legationem optime emendasse sibi videbatur. Namque hac investitura, qua universam Sardiniam Baresoni pro imperio concessit, ad dominium imperii illam pertinere gravissime toti orbi persuasit. An quis in posterum pontifices de Sardinia videbatur aditurus esse, quoniam apud imperatorem eam litem agendam esse non Pisani soli aut Genuenses, sed ipsi Sardi experti erant? Hanc igitur vim habuit secundum nostrum iudicium coronatio Baresonis.

At is, tantum aberat, ut privilegio illo Caesareo reapse regnum totius Sardiniae caperet, ut sese ipse per multos annos, iudicatum Arboreensem paene in perpetuum sub potestatem redigeret Genuensium. Id enim facile praevideri poterat, nunquam Pisanos ultro ex insula cessuros. Itaque Bareso Genuae classem exercitumque paravit, quamobrem praeter illud debitum novis versuris a republica Genuensi singulisque civibus factis ingens aes alienum contraxit[24]; cuius quamvis magnas callida civitas cautiones ab eo exegit,[25]) a. 1164.
magnopere tamen a callidiore rege circumscripta fuit. Ipse sept. 16.
enim nunquam se tantam pecuniam redditurum haud ignorabat. Quae quum ita essent, quid id sibi voluit, quod se Pisanos prohibiturum, mercaturam Genuensium qualibet ratione tuiturum, in primatu ac legatione ecclesiastica adipiscendis eos adiuturum, denique tanquam fidelem Genuae vassallum se gesturum pollicebatur? Nempe haec omnia contra Pisanos armorum vi expugnanda erant, parumque

[24]) Quantum fuerit debitum Baresonis, diversis numeris notatur. C. D. S. s. XII, 77, 78, 79; Obert. ccl. ann. p. 60; Marag. ad a. 1165 (Pis) mai.

[25]) C. D. S. s. XII, 75, 76, 77, 78, 79. — cf. L. iur. Ian. II, 7, 8, 9.

Genuensibus profuit, quod pignus tantorum promissorum rex iis Arboream, immo totam insulam offerebat, quod pignus neque ipse neque illi in manibus habebant! Haec dum Genuae aguntur, iamiam Turritanus et Calaritanus, quos Pisa
mai.; sept. novis sacramentis sibi obstrinxerat, Arboream igni ferroque depopulabantur; ipsique Pisani insulam navibus suis tegebant. Quin etiam in ipsa urbe Genua perfidus Bareso, ut molesta pacta celeriter rumperet, cum hostibus Pisanis clam de libertate sua agere coepit. Itaque frustra Genuenses
a. 1164—65 hiem. illum in Sardiniam ducunt; nam familia eius, quominus capto rege postulata solveret, recusante ipse, quum ibi quoque dolum commoliri pergeret, mox Genuam reductus carcerique traditus est. Quumque interea inter ipsas civitates res ad arma venisset, utraque legatos ad imperatorem in Germa-
a. 1165 ver. inc. niam mittit. Tum Fridericus Pisanos, qui modo suum archiepiscopum Villanum exsulem fieri, quam Paschalem no-
a. 1164. nov. 30. vum antipapam Pisae non suscipi maluerant, ulterius offendere nequivit, quumque praeterea illi XIII milia libr. ipsi offerrent, mira celeritate animo mutato oblata accipere illisque totam Sardiniam in feudum dare constituit. Quod sol-
a. 1165. apr. 17. lemniter factum est Francofurti[26]) „in magna aula praesentibus Genuensium legatis." Accipiunt Pisani „plenam omnemque potestatem atque iurisdictionem et districtum et totum, quod in Sardinia est et quod futurum est, et quod regno et imperio pertinet aut pertinuit vel pertinebit," istaque donatio fit in perpetuum „neque ulli alii datio concedatur nec in neque de insula contra liberam voluntatem universitatis Pisanae." Disertis verbis superiores donationes, inter quas illa quoque Guelfoni facta, ad irritum vocantur. Sed quid tandem de huiusmodi conversione cogitabimus? Fieri quidem potuit, ut Fridericus de causa vilissimi hominis Baresonis omnino desperaret; verumtamen tam paulo post priori tam repugnans alterum iudicium edere imperatorem

---

[26]) C. D. S. s. XII, 81; cf. Marag.

parum decebat. Veri videtur simillimum invicem donis modo in hos modo in illos collatis facillime eum utramque civitatem sibi obstringere voluisse; itaque re vera quasi certantes Pisa ac Genua tam pecuniam, quam, quod ipse pluris aestimabat, operam ei offerebant. Sed hoc quoque ambigua mobilique illius liberalitate necessario effectum est, ut utraque pars, quod ad Sardiniam ipsam attineret, auctoritatem ac privilegia eius ne flocci quidem aestimantes solis armorum viribus dolosisve cum iudicibus agendi insidiis confiderent.

Vario deinde Marte pugnatur. Illo anno nihil Genuenses a. 1165.
proficiunt; reliqui enim Sardiniae iudices Pisanorum in verba mai.—iul.
iurant. Sequenti vero anno Calaritanus ac Turritanus, qui a. 1166. iun.
semper ex ancipiti temporum mutatione pendent, celeriter ad Genuensium partes transeunt[27]; mox Pisani Calarim reversi iudicem sibi rursus subiiciunt. Sed singulas istas levissimas rerum Sardoarum vicissitudines persequi taedet; maximi vero momenti illud foedus fuit, quod Genuenses tunc cum Lucensibus sempiternis Pisanorum hostibus inierunt. oct.
Postea autem, quam Fridericus in Lombardiam rediit, denuo nov.
utrique per legatos ius suum ab eo impetrare conati sunt. Primum Pisani privilegii nuper ipsis dati eum admonuere; qua re commotus imperator „fideles suos Genuenses“ Sardiniam illis cedere iussit. Hi vero iterum atque iterum dimidium saltem insulae, scilicet Calarim atque Arboream, et re et iure se tenere confirmantes palamque, quae ille antea secum contra Pisanos molitus esset, pronuntiantes vehementer eum distulerunt. Miserandum, quibus latebris ipse subdolas artes suas tegere temptaverit: se neutrum velle violare; ceterum in Baresonem omne ius suum contulisse.

---

[27]) Foedus inter Genuenses et Petrum Calaritanum factum uterque, Obertus et Marago, affirmat; exstat diploma, quo eodem anno Baresonem Logudorensem pactum cum iis fecisse comperimus; cuius quum nulla apud illos mentio fiat, num revera ad a. 1166 trahendum sit, dubitari potest; attamen verisimile est egregios fratres Petrum et Baresonem iunctos semper ad motum fortunae se movisse. — v. C. D. S. s. XII. 82.

Nec tamen quidquam certi decretum; pacem vero, id quod ipsi maxime cordi erat, ut inter utrosque facerent, archicancellariis suis imperator mandavit. Quae legatio eventu caruit, quia Pisanis eos favere apparebat. Hi enim iam paulo
inn. exe. ante causam imperatoris defendentes patrimoninm Petri va-
a. 1167 —68. staverant; itemque sequentibus annis domi bellique fideles
a. 1167. mart. 21. illi se exhibnerunt. Namque et novum archiepiscopum pro Villano exsule iussu eius sibi elegere et in expeditione Ro-
mai.—iul. mana remotis Genuensibus fortissime eum adiuvarunt. In-
a. 1168, 1169. terea contra Genuam et Lucam bellum continuatur, atque in-
a. 1168. cassum saepius de pace agitur[28]). Eodem fere tempore Bareso noster longa captivitate fractus iterata cum Genuensibus pacta iniit, quibus castrum quoddam Arboreense iis se traditurum, obsides daturum, pecuniam per iudicatum collecturum pollicetur[29]). Itaque in patriam ducitur; castrum, obsides, collecta Genuenses accipiunt; regem tamen ipsum, quia pecunia soluta nondum sufficiebat, rursus Genuam deportant. Quod vero maximi videtur esse momenti, firmam tandem pacem inter illum et fratres Turrensem ac Calaritanum componunt, qua Bareso rex Arboreae — iam enim Sardiniae regis titulum deposuerat — renunciando in perpetuum, quidquid iuris ab imperatore impetraverat, vicinis regulis securitatem atque amicitiam spopondit. Nec minus illi pacta cum Genuensibus fecerunt, salva tamen pace Pisanorum[30]). Ita primum illud privilegium Sardoum — ut omittam iura Guelfonis iampridem submota — Baresoni a Friderico concessum tollitur; mox alterum quoque Pisanis datum rescindi
a. 1171. videbimus. At Bareso tandem a. 1171, postquam maiora etiam Genuensibus satisdedit[31]), in regnum, quo paene VII annos disiunctus fuerat, restituitur.

---

28) De pacis conditionibus v. C. D. S. s. XII, 92; L. iur. Ian. I d. 271; cf. Obert. ad a. 1168, 1169; Marag. ad a. 1170 (Pis.)

29) C. D. S. s. XII, 86—90.

30) Ib. 83—85, 93—96; parum recte dipll. 86—92 illis intermissa sunt.

31) Ibid. 98; falsus a. 1172 ind. IV adscripta corrigatur.

Bellum interea terra marique inter civitates continuatur, saevissime in Tuscia, ubi mox Florentini cum Pisanis adversus Lucenses coniunguntur. Permutatur deinde sequenti anno pugnantium conditio. Contigit enim Genuensibus, ut Christianum archiepiscopum Moguntinum, qui tum imperatoris in Italia vicem gerebat, in suas partes traherent. Motus est iste constantia praecipue, qua illi ad Lombardorum aut Graecorum societatem accedere recusaverant, quorum conditiones Pisani haud omnino videntur aspernati esse. Sed etiam pecunia Genuenses more suo propositum consequi studebant[32]). Ille vero Lucenses primum, quos Pisani captos tenebant, se liberaturum, deinde in pace ineunda id acturum pollicitus est, „ut Sardinia per medium divideretur, et ut medietatem Genuenses haberent et alteram Pisani.“ [33]) Ac quum Pisani ante compositam pacem captivos reddere nollent, Christianus Senae publice eos proscripsit, omniaque eorum privilegia, in quibus Sardoum quoque, sustulit. Ac quanquam paulo post sollemniter in integrum illis restitutis[34]) pacem inter quatuor civitates firmandam curavit, tamen protinus captis Pisanorum Florentinorumque consulibus bellum denuo erumpit, cuius ipse Christianus contra illos particeps fit. Postero deinde anno Pisani per legatos in gratiam imperatoris rediere neque ulterius a Christiano armis lacessiti sunt. Tandem vero XI annis post coronatum Baresonem in eadem urbe Ticino Fridericus bello, quod ipse, quamvis invitus, moverat, auxerat, propagaverat, finem imposuit.[35]) Ibi Genuenses „medietatem Sardiniae, sicut exigerent, ab eo sibi concessam esse“ gloriabantur.[36]) Quod quidem re vera factum esse dici poterat, non tamen ita, ut, id quod per Christianum prius assequi voluerant, limite per mediam insulam ducto meridio-

a. 1172. ian. mart. 6. mart. 28. mai. 28. iul. 1. aug.—dec. a. 1173. a. 1175. nov. 6.

[32]) Libr. MMCCC Christiano promissas esse tradit Obertus. p. 91.

[33]) C. D. S. s. XII, 99.

[34]) V. promissa Christiani d. d. 1173 (Pis.) mai 23. et 25. apud: Dal Borgo, raccolta. p. 309.

[35]) C. D. S. s. XII, 106. [36]) Otoboni scribae ann. p. 97.

nalia loca ipsi acciperent, cetera Pisani, sed ut aequo iure utraque civitas in Sardinia uteretur. Vectigalia, portus, colonias, receptacula, omnia pariter utrique haberent fidelitatem simul communiter indicibns imponereut; privilegia Pisanis a Friderico data, sicuti Baresonis quondam investitura, rescissa; ecclesiastica illorum potestas, quam Genuenses dintius haud periculosam fore existimarent, servata est. Econtra Pisani se non prohibituros esse promiserunt, quominns illi debita Baresonis ex Arborea extorqnerent. Haec autem provincia adeo in eorundem potestate permansit, ut iudices Arboreenses, qui Baresoni snccesserunt, „civitate Genuensi" donarcutur, i. e. reipnblicae illorum plane subiicerentur.[37]) Ac qnum praeterea Calaritanum quoque indicatum isti illo tempore sibi devinxissent,[38]) Turris vero et Gallura Pisanis maxime oboedirent, reapse quodammodo etiam ista regionum divisione tum Sardiniam inter se partiti esse videbantur.

Iam vero, quoniam postea nunquam Fridericus res Sardoas attigit, exegisse nobis videmur, quae de illo fuere narranda. Longam profecto dicemns istam historiam confusisque repletam consiliis; hoc igitur certe haud iniquum indicium ferre licebit. Singula quaeque, quae ipse veri rerum status nimis ignarus disiunctaque proposita secutus de insula nostra disposuit, durare minime potuerunt. Non Guelfo, non Bareso, non Pisani privilegiis Caesareis quidquam adepti; nequiquam ipse legatos in Sardiniam maudavit; deniqne ne ultima quidem pace aliud quidquam effecit, nisi ut, quantum armis Pisani et Genuenses obtiuuerant, tantum iis auctoritate sua confirmaret. Verumtamen hoc ipsum nonne aliquid erat? Qnid qnod nihil istae civitates, omnia amiserant pontifices Romani? Neque enim solum tunc primum fortasse inde a Carolorum aetate apud Sardos audiebatur nomen Augustale, sed quod ne Carolis quidem contigerat, nomine saltem pro-

[37]) Cf. C. D. S. s. XII, 117—19, 121, 125, 128—34, 137—41, 143, 148.
[38]) C. D. S. s. XII, 102, 107.

vincia imperii facta erat Sardinia. A Benedicto VIII usque ad Innocentium II a. s. sede petenda fuerat iusta illius possessio; nunc vero aulam imperatoris adire necesse erat; penes hunc igitur ipsa summa Sardiniae potestas esse videbatur. Sed iam videamus, quemadmodum tantum de iure suo deminui tulerint pontifices.

Hadrianum IV ex medio certamine morte ablatum esse diximus. Alexander vero III tot tantasque controversias alia lite augere sapienter noluit; itaque ne tum quidem, quum Venetiis de pace ageret, Sardiniae, quantum nos scimus, mentionem fecit. Neque tamen unquam animo ipse b. Petri iure se abdicavit. Quamobrem, quum ex Gallia Romam rediisset, de conatibus Pisanorum, qui per Fridericum totius insulae potiri cuperent, certior factus amicos suos Genuenses adhortatus est, ut illam ab hostibus defenderent inque ipsius a. 1166. obsequio ac fidelitate tenerent[39]. Nam cum Genuensibus ian. 18. semper celebri fruebatur commercio[40]; sed cum Pisanis quoque revocato Villano electoque postea Ubaldo archiepiscopo a. 1174. plane conciliatus est, atque huic concessiones ab Innocentio II ecclesiae Pisanae factas confirmavit[41]. Primatum vero totius a. 1176. Sardiniae, id quod ex Ughellio videtur apparere, iam Alexan-

---

[39]) Tola, si regesta Aiexandri a Iafféo composita inspexisset, statim vidisset iliam epistolam „Laterani 15. Kal. Feb.“ datam nisi ad a. 1166 ant 1167 trahi non posse, neque ipse false a. 1162 adscripsisset. (C. D. S. s. XII. 68.) Nes, ut a. 1166 praeferamus, et istis verbis mevomur: „incolumes sumus et tam a senatoribus quam ab nniverse popule in omni reverentia habemur“, et ee, qued Aiexander tum in spem se venisse dicit, fore ut mex seiida pax ecclesiae redderetur. Nec minus Pisanes praeter aiia opprebria ecciesiae iliata — nam pauio ante ipsnm papam navibus snis capere temptaverant — tunc etiam Sardiniam „in suam neqniter redigere velle petestatem“ tum maxime primnm comperire papa debnit. — Praeterea istas litteras perperam a Tela editas esse apparet; ponit enim „nequit“ pre „nequiter“, ac post verba: „de cetere attendentes, quemodo cives“ omittit: „Pisani“.

Addenda haec epistoia regestis iafféianis p. 711. nnmere indita 7553 a.

[40]) V. J. 7127, 7169, 7189, 7191, 7784, 8619, 8620, 9027—34, 9087.

[41]) J. 8426..

drum addidisse cur nos negandum censeamus, infra monstrabimus[42]. Sed etiam temporale Sardiniae imperium se retinere Alexander probavit, quum Genuensium possessiones in Arborea Caralitanoque regno sitas confirmavit ac Petrum huius provinciae iudicem ea, quae Caralitani s. Laurentio
a. 1178 Genuensi eripuerant, restituere iussit. Atque haec quidem
— 80 (?) gesta esse arbitramur post pacem Ticini factam, quoniam tum
(post a. 1175) demum Genuenses firmius in illis iudicatibus obsidebant, simulque Friderico nihil amplius Sardiniam curante liberius pontifici de ea decernere licebat[43].

Haec igitur tam pauca de Alexandro afferre possumus, neque multo maiora de successoribus eius ante Innocentium III. Nam ab Urbano, Clemente, Coelestino ecclesiasticam Pisanorum in Sardinia potestatem iterum atque iterum confirmatam esse vix dignum videtur memoratu[44]. Gravio-
a. 1183. rem autem ducimus epistolam quandam a Lucio III a. 1183
oct. 26. datam, qua consulibus Genuensibus sese comperisse dicit, cives illorum „cum Pisanis et aliis gentibus Sardiniam intrare velle, ut pro suae voluntatis arbitrio eam dividerent.“ Monet igitur, ut consules etiam excommunicationem civibus minati,

42) Ugbell. It. sacr. III. p. 408. cf. Inn. III. dipl. C. D. S. s. XII, 144.

43) Bis Tola eandem profert confirmationem Genuensibus datam: C. D. S. s. XII, 70 et 109! primum a. 1162 deinde a. 1179 adscribens; huncce annum ex libro iur. Ian., II d. 14 sumptum verum esse puto, quanquam istud diploma „Laterani 17 kal. iun.“ datum ad a. quoque 1166, 1167, 1178 trahi potest, minime vero ad a. 1162, praesertim quum Hugo aep. Gen. a. demum 1163. sept. 30 electus sit. v. Cafar. p. 36. — (inserendum reg. Jaff. p. 781 n. 8645 a.) — Nec minus perverse epistolae ad Petrum Caral. datae a. 1162 ille praeponit, (C. D. S. s. XII, 71), quamvis ipse Petrum a. 1164 demum regnum intrasse haud ignoret (not. 1. ib.) Haec enim epistola data „Tusculani 4. non. dec.“ pertinere nequit nisi ad a. 1170, 71, 72, 78, 80. (inserenda igitur reg. Jaff. p. 788 n. 8764 a.)

44) Urbanum, Clementem, Coelestinum affert Innoc. III in dipl. C. D. S. s. XII, 144; Ughellius (III. p. 408) pro omisso Clemente perperam videtur Lucium nominare; quo vero iure et hunc et Urbanum et Coelestinum (v. J. 9849, 10353.) rursus „primatum Sardiniae“ Pisanis confirmasse velit, infra videbimus.

ne tali modo ius b. Petri infringatur, prohibeant[45]). Verumne tum papae fama nuntiaverit, indicare nequimus; id quidem constat ex annalibus Genuensibus, pacem illo tempore atque amicitiam inter utramque civitatem fuisse[46]). Sed etiamsi simile quid in animo habuerint, divisionem tamen, pontificis fortasse obsequio, non peractam esse, quae sequuntur, demonstrant. Etenim Pisani adeo non iure Genuenses in regno Caralitano sedes fixisse existimabant, ut a. 1187 repentino impetu, quoscunque illorum ibidem inveniebant, ex toto iudicatu eiicerent. Bellum protinus enatum litterae Henrici regis a Pisanis impetratae sedare volebant, quibus tamen impediri non poterant Genuenses, quominus castellum Bonifacii, quod meridiana Corsicae regione Pisani exstruxerant, funditus delerent[47]). Sed quum interea de oppressa Palaestina rumor dissiparetur, celeriter Gregorius papa VIII pacificandi causa Pisam venit, ubi paucis diebus post diem obiit supremum. Quod opus mox Clemens III suscepit ac tandem post annum paene integrum pacem a cardinalibus suis confectam sollemniter confirmavit[48]). Conditiones ibi repetitae, quas antea Fridericus statuerat; sed additur tanquam „specialiter exprimenda" gravissima denuo privilegiorum Fridericianorum revocatio[49]). Quam ad pacem componendam etsi praecipue calamitate Hierosolymitana pontifices adducti erant, tamen eadem re eos remota auctoritate Caesarea etiam iu recupe-

a. 1187.

a. 1187. dec. 17.

a. 1188. dec. 12.

45) Per errorem Tola illam epistolam Lucio II vindicat (s. XII, 52), qui quidem nullam unquam „Anagniae" dedit. Ad III Lucium trahenda ac, sicut dies docet „Anagniae 7 kal. Nov." ad a. 1183 spectat (inserenda reg. Jaff. p. 843 n. 9563 a.). Ac credo mehercule a. 1144 Pisanos Sardiniam cum Genuensibus aliisve partiri voluisse!

46) Otobon. ad a. 1182. 47) Otobon. ad a. 1187.

48) J. 10124; cf. J. 10077; praeterea: Dal Borgo p. 114, 127; C. D. S. s. XII, 126, 127, 104.

49) C. D. S. s. XII, 104. Hoc quoque diploma ad a. 1188 spectare ac non ad a. 1176, quem Tola praeponit, ante oculos positum est. Insuper pessime ibidem legitur: „privilegiis factis ad non Friderico" pro „a domno F." (a dn̄o); item pro „aliqua per" legendum: „aliquaper".

randa potestate Sardoa multum apud civitates profecisse per
a. 1196. se apparet. Simili ratione Coelestinus III a. 1196 bello interea ob restitutum Bonifacii castrum redintegrato finem facere, sed frustra, conatus est[50]). Tandem vero plane mutata est Sardiniae conditio per Innocentium III.

Sed priusquam ad illum transeamus, de Henrico VI imperatore perpauca intermittenda sunt. Qui quum a nullo unquam pontifice de Sardinia aut Corsica compellaretur, cur palam utramque insulam imperio denuo vindicaret, non erat; certe ipse de illo imperii iure haudquaquam dubitari posse
a. 1192. mai. 30. persuasum habebat. Itaque in magno privilegio a. 1192 Pisanis dato aperte Corsicam illis in feudum commisit[51]), quo nomine tanta eius insulae pars continebatur, quantam re vera tum Pisa tenebat. Sardiniae mentio in isto diplomate nulla fit, nisi quod imperator se omnia privilegia a Friderico Pisanis indulta confirmare dicit. His vero iuribus Sardois ab illo acceptis totiens Pisani sollemniter renuntiare coacti erant, ut nova ista generalis eorum confirmatio nullius pretii esset. Atque omnino hoc iudicium de isto diplomate ferendum erit: confirmari eo statum, quo illo tempore essent possessiones atque iura Pisanorum; nova tamen accedere maxima dona Sicula promissa. Idemque de illo pacto, quod
a. 1191. mai. 30. Henricus integro anno ante cum Genuensibus inierat, dicendum videtur[52]). Ibi enim veteribus Friderici concessionibus aliae in expugnando reguo Siculo adduntur; Sardiniae aut Corsicae conditio nullo modo mutatur[53]). Illis autem ille-

---

50) Otobon. ad a. 1196.

51) Dal Borgo p. 24, Murat. Ant. It. IV. p. 474. Unum idemqne diploma perperam a Boehmero bis profertur (n. 2781 et 2804. in reg. imp. 911—1313 Fcf. a. 1831). Diem 3 kal. inn. indicant a. regni 23, imperii 2 = 1192 mai. 30. — | a. 1192 recte Dal Borgo; 1193 ap. Murat. Pisanam redolet rationem; indictio XI omnino corrigenda.

52) L. inr. Ian. I, 385—87.

53) Minus accurate Pertzius (M. G. Sc. XVIII. p. 106 not. 98) Genuenses tum imperatori pollicitos esse dicit ad debellandos in partibus Sardiniae Saracenos se opem laturos; istud enim promissum (l. inr. Ian. 387) nihil aliud

cebris Henricum utriusque civitatis copias navales, quibus carentem nunquam se Apuliam Siciliamve expugnaturum haud ignorabat, sibi parare voluisse posteaque confectis iis, quae agere destinaverat, insolenter et superbe, quae iure illae postulabant, ipsum respuisse et notissimum est et a nostro proposito alienum. Quam acriter inprimis adversus Genuenses „nerozaverit", multis verbis in annalibus illorum narratur[54]). Nos vero istis rebus utendum ducimus ad refutandum, quod Otto Samblasianus de Sardinia tradidit. Is enim narratis rebus, quas in Apulia ac Sicilia a. 1194 impe- a. 1194.
rator gessit, haecce addit[55]): „Igitur tali modo confecto bello Samnico Apuliensique cum Calabrico redactaque in provinciam tota Sicilia cum Sardinia Henricus exercitum peregrinorum dimisit." Quid? In provinciam Henricus Sardiniam redegit? Certe id fieri nequibat nisi classe in eam missa. Sed qua, quaeso, classe, quum ad ipsam Siciliam expugnandam Genuensium Pisanorumque navibus uti coactus fuisset? Num vero eiusmodi consilium, quod contra se ipsos agi viderent, illi adiuvare voluerint, quum praesertim ne facti quidem servitii gratiam ipsis iste referret? Equidem ego ne temptasse quidem illud existimo imperatorem; minime enim annalista Genuensis, qui tantum de illo queritur, novam istam iniuriam civitati suae illatam silentio praetermisisset. Apparet igitur Samblasianum, qui quam plurimis epithetis illud bellum exornare studet, Sardiniae quoque nomen in maiorem imperatoris gloriam sua sponte addidisse. Profecto Henrici ingenium aptum fuit ad altissimum quidque cogitandum: etiam Aragonense regnum cum Genuensibus

fuit, nisi repetitum, quod cum Friderico quondam fecerant, pactum contra Saracenos Balearicos Hispanicosque; („regnum Lupi" i. e. Deniensis provincia; v. Cafar. p. 30, 31) Qua nota Pertziana fortasse Schirrmacher adductus est, ut breviter contendat: „Henricum imperatorem ad tempus Sardiniae possessionem classe tutam reddidisse" (Kaiser Friderich der Zweite. III. p. 47.)

54) Otobon. ad a. 1191, 94, 95; inpr. p. 110.

55) Cp. 40. Murat. Sc. VI.

expugnare voluit[56]); at si Sardiniam aut Corsicam sibi subiicere in animo habuit, et illos et Pisanos prius devincere debuit. Quod quominus conaretur, audacissimi viri mors prohibuit praematura[57]).

Tum vero res Sardoae extemplo rediere ad pontifices maximos. Ac sicuti summos quosque b. Petri successores maxime illas tractasse vidimus, Gregorios dico et I et VII, ita tunc Innocentius III, qui praeter omnes ceteros arte politica excellebat, statim ipsam litis Sardoae conditionem gravissime commutavit. Ac tria quidem invenit adversariorum genera, quibuscum de summo Sardiniae imperio certandum erat: imperatores, ecclesiam Pisanam, iudices ipsos. Atque ut de illis primum disseramus, qui periculosissimi putandi erant, imperatores, quamvis civitates ex insula nostra eiicere non potuissent, tamen arrepto eius in feudum deferendae iure pontifices re vera ex ea videbantur eiecisse. Nunc vero ipsorum angustiis ac necessitatibus imperatorum Innocentius ad restituendam, quam sedes Romana amiserat, potestatem
a.1198.iul., 1201 iun.8. callide usus est. Itaque ab Ottone bis sacramentum accepit[58]), quo ille iuravit „sese ecclesiam Romanam ad recuperandas, quas nondum recuperasset, possessiones adiuturum et, quaecunque ad manus ipsius devenissent, restituturum.“ Haec etiam ad insulas nostras spectare eo monstratur, quod istas possessiones imperator „multis privilegiis imperatorum a tempore Lodoici“ circumscribi voluit. Illa vero ficta Ludovici donatione, quae tum sincera putari coepit, utramque insulam contineri scimus. Neque minora fortasse Philippus papae indulsisset, nisi hic dona eius sprevisset[59]).
a. 1209. mart. 22. Occiso deinde Philippo Otto tertium, quae ante pollicitus

56) Otobon. ad a. 1195.

57) In ficto Henrici VI testamento de Sardinia aut Corsica nihil invenies. v. M. G. leg. II, B. p. 185.

58) Huillard-Bréholles: rouleaux de Cluny; not. et extr. des mscts. XXI, 2; p. 285 n. XV, XVI; M. G. leg. II. p. 205.

59) M. G. leg. II. p. 208; a. 1203; cf. Huil.-Bréh. l. c. p. 285 XVII.

erat, Spirae iureiurando dato confirmavit[60]), „ut possessiones istas in multis privilegiis imperatorum et regum a tempore Ludovici expressas haberet Romana ecclesia in perpetuum cum omni iurisdictione, districtu et honore suo.“ At idem, simulatque omnino pontificalis regis personam deposuit, Corsicam quoque sine ulla dubitatione iteratis Friderici Henricique privilegiis fidelibus Pisanis denuo in beneficium tradidit[61]). Sardiniam non tetigit, nisi quod Camaldulensi- oct. 25. bus ne Sardoas quidem ipsorum possessiones confirmare recusavit[62]). Quae quamvis parvi sint aestimanda, tamen nov. 6. dubitari non potest, quin, si modo occasionem nactus fuisset, fortioribus etiam rationibus res insularum spreto sacramento tanquam suo arbitrio subiectas tractasset. Praeterea statim, quum ad bellum Siculum gerendum aut utriusque civitatis aut universis saltem Pisanorum copiis navalibus uti vellet, Genuenses cum his pacem inire sibique captivos tradi ius- a. 1210. apr. sit[63]). Hi enim ad id tempus praecipue de castro Bonifacii bellum continuaverant[64]). Posteaquam vero reiecto Ottone Fridericum clientem suum in regnum accivit, Innocentius inter alia promissa iisdem fere verbis atque antea ab illo, ut ea, quae imperatores inde a Ludovici temporibus ecclesiae donassent, restituerentur, stipulatus est[65]). Quin etiam in a. 1213. iul. 12. altero eiusdem promissionis exemplari, quod eodem die perscriptum fuit, Sardoa quoque et Corsicana ecclesiae Romanae iura aperte agnoscuntur[66]). Atque hoc quidem a candidato facile impetrari potuit; at si quando futurum erat, ut illi devictis adversariis tutela pontificis ulterius non opus esset, num verisimile erat, quod invitus urgente necessitate desponderat, id secundis rebus ab eo conservatum iri? Iam

60) M. G. leg. II. p. 217. 61) Dal Borgo. p. 28.

62) C. D. S. s. XIII, 18. 63) Ogerii Panis ann. ad a. 1210.

64) Id. ad a. 1202–1210. cf. C. D. S. s. XIII, 11, 12, 14–17.

65) M. G. leg. II. p. 224.

66) Huil. Bréh.: hist. dipl. Frid. II, t. I. p. 269; cf. eiusd.: roul. de Cluny p. 286 n. XXII.

tum, quum Gennensibus, qui summo cum honore familiarem ecclesiae receperant, praeter alia dona etiam castrum Boni-
a. 1212. iul. 9. facii per vim Pisanis ereptum addixerat, nonne res Corsicanas ipse in iudicium vocaverat[67])?. Sed illud periculum certe Innocentium minime fugiebat; neque vero aliud quidquam ab imperatoribus papa postulare poterat, nisi promissa aut sacramenta. Quamobrem iure infirma illa cautione sola confidere nolens temporisque opportunitate diligenter usus firmiorem tandem sedis apostolicae dominationem in Sardinia saltem constituere studebat.

Itaque nunc ad ea animum advertemus, quae cum ecclesia
a. 1198 (ante m. iul.) Pisana papa de Sardinia egit. Iam primo pontificatus sui anno non solum, quaecunque ab Innocentio II acceperat, iura ei confirmavit, sed etiam „ad maiorem honoris cumulum Pisanae civitatis, ut Pisana ecclesia cum universo eiusdem civitatis populo in fidelitate atque devotione s. Romanae ecclesiae perseveraret et in ipsa quotidie augmentaretur, pro devotione quoque et honestate Hubaldi archiepiscopi, personam eius et per eum Pisanam ecclesiam ampliori munere voluit decorare“[68]). Ecquis est, quin hisce verborum ambagibus novum aliquod donum significari sentiat? Accedit, quod alias semper in eodem diplomate Innocentius nominatim appellat donatores, quorum beneficia Pisanis tributa confirmat; isto loco nullius profert nomen decessoris. Etsi igitur Hubaldo „primatum super Calaritanam et Arborensem provincias *datum concedere* et auctoritate sedis apostolicae *confirmare*“ se dicit, nos tamen non credemus eundem iam ab Alexandro III, Lucio III, Urbano III, Coelestino III Pisanos accepisse. Id enim nonnulli Ughellium secuti factum esse putavere, quoniam hic ab illis pontificibus „primatum Sardiniae“ ecclesiae Pisanae datum esse breviter contendit, quod quidem ad totam insulam videtur

---

67) L. iur. Ian. I d. 506; cf. Oger. Pan. ad a. 1212.

68) C. D. S. s. XII, 144.

spectare[69]). At illi certe nihil aliud, nisi Turritanae provinciae primatum una cum duobus Gallurae episcopatibus largiti solam Innocentii II donationem confirmaverunt; Ughellius vero etiam ab hoc Balduinum Pisanum „Sardiniae ac insulae Corsicae primatem electum esse“ parum accurate tradidit[70]). Quo exemplo ceterorum quoque diplomatum, quae ille in medium non protulit, sententia emendanda erit. Itaque III demum Innocentius spirituale ecclesiae Pisanae imperium, quod II in septentrionalibus Sardiniae partibus instituit, in totam insulam extendit. Attamen quod extra propagavit, caute intra voluit coërcere. Primum enim, ut certo tantum anni tempore ius primatus ac legationis exerceret, archiepiscopo permisit atque aliter illi obsequi vetuit episcopos Sardos[71]). Deinde vehementissime in pravum istum morem invectus est, ut Pisani archiepiscopi tunc in sua verba iudices iusiurandum adigerent fidelitatis, quod pro s. sede tanquam legati recipere debebant. Iniuste id paulatim ab illis occupatum esse qualibet argumentorum subtilitate, quam Bononiensis ipsi subiicebat eruditio, Hubaldo explicare conatus est[72]); Caralitanumque iudicem fidelitatem Pisano eiuratam sibi ipsi denuo iurare iussit[73]).

Atque haec quidem de rebus ecclesiasticis; sed ipsi quoque reipublicae Sardae maxime Innocentius interesse studebat. Hanc enim rationem ipse profitetur, quum dicit: „Quanto Sardinia specialius ad Romanam ecclesiam noscitur pertinere, utpote cui tam in spiritualibus, quam temporalibus est subiecta, tanto propensius praecavere volumus, ne quid attentetur in ea, per quod status perturbetur ipsius et graviter dominus offendatur.“[74]) Erat autem revera valde commutatus atque etiam perturbatus insulae nostrae status. Arboream inde a restituto Baresone plane e Genua pendere supra vi-

69) Ughell. It. sacr. III. p. 408—9; cf. J. 8426, 9849, 10353.
70) Ital. sacr. III. p. 389. 71) C. D. S. s. XII, 144, 146.
72) Ib. s. XIII, 2. 73) Ib. 3. 74) Ib. 1.

a. 1191 (90?) dimus. Sed paulo post eidem civitati contigit, ut Turritanos quoque iudices ad suas traheret partes, quibus hi repetito saepe foedere per longum temporis spatium fideles manebant[75]). Econtra Pisani regnum Caralitanum, quod iam Genuensibus parere videbatur[76]), paulo ante sibi coniunxerant
c. a. 1190. eo, quod Guilelmus marchio Massae, Corsicanorum quoque dominus fundorum, civis Pisanus, per vim istum iudicatum
a. 1196. occupaverat[77]), qui fortissime mox cives suos contra Genuenses adiuvit[78]). Bellum cum Turritanis iudicibus eiecti Petri Calaritani consanguineis exortum Guilelmus filia Agnete Mariano Turrensi in matrimonium data sedavit[79]), quo matrimonio nata est Adelasia, quae Entio postea nupsit. Petrum deinde Arboreensem Guilelmus armis aggressus illam provinciam capto regulo videtur insuper voluisse occupare. Tum
a. 1198. vero protinus Innocentius intercedere constituit[80]) summaque assiduitate primum ipsum marchionem adhortatus, deinde per Logudorensem atque Arboreensem iudicem cum illo agens efficere studebat, ut peracto „negotio Arboreensi“ in illam saltem Sardiniae partem „pax rediret exoptata“[81]). Atque hic quoque firmam tandem Hymenaeus pacem consignavit; nam Bareso Petri Arboreensis filius Benedictam Guilelmo
a. 1215. natam, postquam ille diem obiit supremum, iuvante Innocentio in matrimonium duxit; qui quidem postea una „amborum iudices locorum“ (de ambos luogos) Caralim Arboreamque administrarunt[82]). Quemadmodum autem Innocentius mar-
a. 1205. chionem a Pisanorum fidelitate solutum sibi ipsi sacramento

75) Ib. s. XII, 135; aut a. 1191, aut ind. VIII valere potest; cf. lib. iur. Ian. I d. 389. De redintegrata societate v. C. D. S. s. XII, 136; s. XIII, 31, 44, 52.

76) C. D. S. s. XII, 102, 107.

77) Iam illo tempore, quo Constantinus Turr. pactum cum Genuensibus iniit (a. 1191 s. 90.), Guilelmus regnum Caral. possidebat. ib. s. XII, 135.

78) Otobon. ad a. 1196.

79) Fara de reb. Sard. p. 227 ex codd. msc.

80) C. D. S. s. XII, 147.

81) Innoc. III ep. III, 33; Raynald. ann. I. p. 94; C. D. S. s. XIII, 1, 24.

obstrinxerit, supra memoratum est; nec minus eum, qui aliter Pisanae subiectus erat iurisdictioni, de causis Sardois nlli nisi pontificali ipsius iudicio obsequi vetuit[83]). Ita sequentibus annis amicitia iuncti manebant papa et marchio, qnanquam ille privatos huius mores per archiepiscopos Sardos nonnunquam castigandos curavit[84]). Defuncto autem Guilelmo Benedicta una cum Baresone marito Innocentio „eius- a. 1215. nov. 18.
que successoribus in perpetuum pro ecclesia Romana iuxta formam ab apostolica sede ipsi expressam iuramentum exhibuit debitae fidelitatis“ [85]) Cuius quidem verba in diplomatis Cluniacensibus nuperrime repertis servata[86]) haud multum abhorrent a iureiurando, quo reges Siculi saeculo XII in obsequinm pontificum iurare solebant[87]). Unum quod additur, maxime videtur dignum esse memoratu: „Censum, in qno pro iudicatu Kalaritano et alia terra, qnam habemus in Sardinia, ecclesie Romane tenemur, statutis terminis sine difficultate qualibet persolvemus.“ Apparet igitur recte Raynaldnm tradidisse, iudicibus qnoque pariter atqne omni Sardiniae clero annua tributa ab Innocentio III imposita esse[88]), quae tameu postea demum a successoribns eius novis pactionibus confectis ad certam normam videntur directa esse. Ibi igitnr prosperrime res Innocentio cesserat neque ab iratis postea Pisanis opus sunm vehementer infringi ipse vidit tempestiva morte ablatus. Sed alia spes iampridem eum fefellerat; quod ad demonstrandum nunc ad „negotium Gallurense“ transibimus.

Iam enim illa aetate de domestica Sardorum pace deque constanti indicatuum statu actum erat. Caralim nsnrpator tenebat Guilelmus; partem Arboreae iamdiu comites de Basso, genti famosi Baresonis affines, et ipsi snmpto iudicum no-

82) C. D. S. s. XIII, 35. 83) Ib. 19. 84) Ib. 10, 25.

85) C. D. S. s. XIII, 35.

86) Huillard-Bréholles: rouleaux de Cluny: not. et extr. d. msc. XXI, 2. p. 351—2.

87) Ib. p. 323, 331. 88) Raynald. ad a. 1203, § 68.

Digitized by Google

mine suo iure regebant[89]); itaque pedetentim illa terrae Sardoae consectio parabatur, qua diligenter continuata exeunte saeculo XIII dissoluta regna parvaque nobilium Pisanorum, Genuensium, aliorum territoria ubique in insula nata videmus[90]). Sic iam tum Gallura quoque mortuo rege Baresone
a. 1203. ab alienigenis petita est. Primus in acie Innocentius relictae illius filiae Trasmundum, consobrinum suum, maritum prospexit[91]). At paulo post Lambertus e gente Vicecomitum
a. 1205. Pisanus Guilelmi civis exemplum secutus Trasmundo regnum reginamque eripuit. Qua re vehementer papa indignatus primum Genuensium opera consobrinum restituere uxoremque eius ad veterem lectum genialem revocare conatus est[92]), deinde ab ipsis Pisanis „de facto Sardiniae“ res repetiit, qui Lamberto se praecepturos pollicebantur, „ut veniret ad apostolicam sedem per se vel responsalem idoneum et se abso-
a. 1207. lute committeret mandatis d. papae.“[93]) Quod quidem ille
sept. 10. videtur non exsecutus esse; nam brevi post iussu pontificis ipse cum uxore anathemate affectus Galluraeque sacrificiis
oct. 27. interdictum est[94]). Quomodo autem postero tempore lis diiudicata sit, haud omnino liquet. Videtur Lambertus tunc quidem regno cessisse, ut prosperiorem aliquando redeundi
a. 1208. caperet occasionem. Certe mox anathemate absolutus est[95]). Neque vero Trasmundus regnum recepit, quod a Comita Tur-
a. 1211. ritano interim administratum esse scimus[96]).

Haec igitur in Sardinia gessit Innocentius III. Quantopere res Sardoae commutatae fuere! Egregie mehercule eum temporis opportunitate usum esse confitendum est. Fideles enim reliquit iudices Sardiniae, dato sacramento sedi apostolicae obstrictos, papali subiectos iurisdictioni, Romae stipendiarios. Neque mirandum, quod, quae ille feliciter inceperat, etiam maiore cum studio persequerentur successores.

89) C. D. S. s. XII, 118, 137—41, 148; s. XIII, 10, 23, 44, 47, 50.
90) Fara de reb. Sard. p. 230, 233, 236.
91) C. D. S. s. XIII, 1. 92) Ib. 7.
93) Ib. 9. 94) Ib. 10. 95) Ib. 13. 96) Ib. 23.

Id unum ille peccaverat, quod, apostolicum Sardiniae principatum se restituisse parum ducens, suam familiam, qui nepotismus tantis viri consiliis indignus erat, contentioni Gallurensi intermiserat. Etenim non modo excidit hoc fine, sed periculosum istud exemplum etiam imperatoribus proposuit imitandum, ita ut exinde in posterum non inanibus postulatis de Sardinia pugnatum iri videretur, sed regnorum aemulatione ineundorum nuptiarumque capessendarum insidiis.

Iam igitur de Honorio III et Gregorio IX loquemur, quos magna Innocentii consilia non modo servantes sed etiam superantes videbimus. Quod ut faceret, Honorius infestissimis maxime etiamtum rebus Sardois adductus est. Etenim Pisani, qui captum in Corsica a Genuensibus castrum Bonifacii aegerrime diu tulerant, opportunum se mortuo Innocentio tempus nactos esse rati Sardiniam saltem simili munitione tutam reddere constituerunt. Itaque Caralim adeunt iudicibusque Benedictae et Baresoni nesciis liberis sive nobilibus Calaritanis fidei sacramentum extorquent. Venit potestas a. 1217.
cum exercitu ac pro „naturali terrae domino et iudice“ ipse se gerit; denique simulata concessione pontificali „castrum castri“ exstruere coepit, quod usque ad hunc diem urbi imminet Calari. Tum Benedicta clam ad Honorium litteras dat, auxiliumque supplex implorat; nam si talia fieri pateretur, de Romano imperio in Sardinia actum esse. Veniam deinde petit societatis cum Turritanis eorumque patronis Genuensibus ineundae[97]). At Honorius vehementer animo commotus statim per legatum a Pisanis, ut exercitum revocarent, castellum solo aequarent, postulavit[98]). Hi vero, qui censuras Romanas bellumque cum Genuensibus atque universa Sardinia gerendum simul sibi imminere videbant, papae morigerari iustamque ab eo pacem Genuensem impetrare maluerunt. Itaque Honorius legatis utriusque civitatis Romam convocatis hisce conditionibus controversiam disceptavit[99]): a. 1217. dec. 3.

[97]) Ib. 35. [98]) Ib. 36. [99]) Ib. 38.

Redderentur, quaecunque utraque pars in Sardinia iniuste occupavisset; Caralitanum Pisani, Genuenses castrum Bonifacii pontifici traderent. Praeterea Pisa cum Turritanis quoque iudicibus, qui semper illa aetate Genuensium partem sequebantur, pacificare cogitur. Dignissimum memoratu illud decretum, quantum in insulis nostris iam profecisset sedes Romana, optime demonstrat. Namque superioribus annis, quando pacem inter utramque civitatem pontifices composuerant, damna restituere aut dare promissa alteri altera iussa erat; sed tunc nihil Genua, nihil Pisa recepit; quaeque redduntur, pontifici obveniunt. Hic igitur nonne legitimus insularum dominus sollemniter agnoscitur, qui fidelibus civitatibus, dummodo modeste agant, benigne ibidem sedes committit? Quocum egregie convenit, quod ex regestis Honorii Raumer tradit,[100]) illum etiam vectigalia pro possessionibus Sardois solvenda Pisanis ac Genuensibus imposuisse. Quod, quanquam nos in diplomatis eiusmodi nihil reperimus, tamen temptatum esse veri eo similius est, quo
a. 1217. apr. 24. magis constat Honorium eodem anno, quum civitati Genuensi dimidium Corsicae Alexandri, Clementis, Coelestini, Innocentii exempla secutus denuo confirmaret, simul imperasse, „ut populus Genuensis sibi suisque successoribus, quum exinde fuisset requisitus, fidelitatem iuraret et pro pensione unam libram auri singulis annis sibi et successoribus suis exsolveret.“[101]) Quin ne pignora quidem, quae Genuenses in Arborea a Baresonis aetate tenebant, magnopere papa respexit; cavetur quidem in istis pacis tabulis de pignore Arboreensi, sed additur dubitanter: „si quod habent Genuenses“. Denique traditis castellis ipsas insulas s. sedes tenere videbatur; attamen consideranti ecclesiasticae naturam potestatis infirmasque Sardorum vires iam tum cuilibet ap-

100) Geschichte der Hohenstaufen III. p. 630. ed. 2.

101) Ughell. It. s. IV. p. 883; cf. Raynald ad a. 1217, § 98. nec non Cenc. cam lib. cens. ap. Murat Ant. It. V. p. 862.

parere poterat, fore post aliqnos annos, nt illa a certantibus civitatibus rursus caperentur. Quamobrem maiori sine dubio usni papae fuisset, si servato primo consilio istas munitiones plane delendas curasset.

At tunc qnidem propriam salutem regnique integritatem Benedicta recepisse sibi videbatur, neqne mirum, quod paulo post haud immemor, cui tanta deberet, restitutum sibi regnum paene totum grato animo ipsa dedidit restitutori. Hoc vero pactum a. 1224 a Benedicta mortuo interea Baresone marito, a. 1224. dec. 3.
quum solam Caralitanam ipsa teneret provinciam, cum Gottifredo subdiacono totius Sardiniae et Corsicae legato initum, paulo accuratius hoc loco exponendum videtur[102]). Id autem primum per se apparet, qua de causa Honorius id non per archiepiscopum Pisanum egerit, sed extra ordinem subdiaconum et capellanum snum pro legato miserit in insulas nostras. Quanquam enim a. 1218 peracta conciliatione eccle- a. 1218.
siae Pisanae vetera iura atqne munera confirmaverat[103]), iisdem tamen atque Innocentius finibus ea circumscripserat[104]); minimeque ea negotia per Pisanos tractare potuit, quibus ipsam potentiam Pisanam maxime infringere studebat. Sed iam videamus, quantnm Benedicta illo concordato petenti papae indulserit. Quae quum „regnum et totam terram ab ipsa ecclesia hactenus se possedisse inque futurum possessuram esse“ libere confiteretur, fieri non potuit, quin a domino suo papa provincialem conditionem immo servitutem sibi imponi pateretur. Itaqne annuum XX libr. arg. censum solvere vult, omnia spiritualia ecclesiae plane remittere, bellum et pacem facere „ad mandatum ipsius ecclesiae contra universos et singulos per Sardiniam constitutos, qni forte aliquo tempore praesument ipsi ecclesiae in aliquo rebellare.“ Castella deinde et arces nisi ecclesiae Romanae fidelibus nullo custodiendas se tradituram pollicetur. Gravissima vero ad firmandum in perpetuum eiusmodi statum decernun-

102) C. D. S. s. XIII, 45. 103) Ib. 39, 41. 104) Ib. 40.

tur: primum, ne ullum iudex aut iudicissa matrimonium contrahat „sine speciali licentia eiusdem ecclesiae et mandato," tum, ut novus iudex facto cum omnibus „liberis sive terrae magnensibus" sacramento fidelitatis statim Romae petat „vexillum in signum dominii a sede apostolica humiliter obtinendi." Si vero nullo herede relicto „index vel indicissa Caralitana decesserit, totam terram libere et absolute ecclesiae Romanae relinquere teneantur salva tantum tertia parte mobilium." Denique pro poena violati pacti X millia marc. arg. constituuntur.[105]) Mirum mehercule diploma! Neque enim solum publicae, sed domesticae etiam privataeque iudicum res b. Petri arbitrio subiectae sunt. Num quid amplius postulare, num desiderare, num cogitare potuere pontifices? Certe nihil reliquum erat, nisi ut eaedem leges ceteris quoque Sardiniae provinciis praeciperentur.

Sed id tum quidem nondum illis contigit. Nam ab Arboreensibus Turritanisve iudicibus, etsi amicitia cum s. sede coniuncti erant,[106]) quum tamen neque muliebri uterentur animi pietate neque ipsi tantum, quantum Benedicta, papae deberent, talia illo tempore impetrari non poterant. Gallura vero iterum ecclesiae per vim erepta erat. Hunc enim iudi-
a. 1218. catum iam a. 1218 denuo Lambertus Vicecomes una cum Hubaldo fratre occupaverat.[107]) Frustra Marianus iudex Turrensis, qui Galluram interim administrandam acceperat, illam defendere conatus est; quin etiam ipsum regnum Logudorense fratres videntur aggressi esse. Quamobrem Honorius, qui protinus eos anathemate affecerat, etiam Medio-
a. 1218. lanensium copias ecclesiae et Mariano subvenire iussit.[108])
nov. 10.

[105]) Ita ex cod. msc. Cenc. camer. Muratorius: Ant. It. VI. p. 8; econtra II millia statuta esse Raumer tradit ex reg. Honor. a. IX d. 344 v. Gesch. d. Hohenstf. III. p. 630. ed. 2.

[106]) De Turritanis v. Raumer. ex reg. Honor.; ib. not. 3.

[107]) Caralim ab Hubaldo captam esse perperam Raynaldus (a. 1228, § 20) videtur persuasisse Raumero (l. c.), quem quidem verbotenus sequitur Schirrmacher (Kaiser Friderich der Zweite III. p. 48.)

[108]) C. D. S. s. XIII, 42.

Novum consilium et ante illum diem inauditum! Sed cur id ceperit papa, haud difficile est ad intelligendum. Quanquam enim idem eodem tempore Pisanis et Genuensibus mandavit,[109]) tamen illos quidem nunquam serio civibus suis bellum illaturos esse ipse non ignorabat, neque Genuenses bellum, cui vix finem pontifex fecerat, statim redintegrare velle verisimile erat; quin id ne ipse quidem studere poterat Honorius; bello enim certe aut hi aut illi maiora in Sardinia commoda sibi parassent, quod ipsum ne fieret, omni studio eum operam dedisse vidimus. Itaque alienos maxime vocare voluit Mediolanenses. Sed quid ad hos insula Sardinia? Ne venisse quidem videntur; neque quidquam Genuenses contra fratres perfecere; quo factum est ut Hubaldus — nam Lambertum, qui ex illo tempore nunquam memoratur, mox mortuum esse arbitramur — in Gallura tanquam iudex remaneret. Nequiquam deinde Honorius in Pisanos, qui eum agnoverant a. 1223.
suumque ipsorum „praetorem“ appellaverant, acerrime invectus est.[110]) Nec minus cum Turritano tum Hubaldus specie saltem in pace videtur fuisse; aliter enim certe Marianus in pacto, quod de parte Arboreae aut tota insula expugnanda a. 1224 clam cum Genuensibus composuit, praecipue belli a. 1224.
Gallurensis mentionem fecisset.[111])

Itaque istum nodum Honorius non solutum successori suo reliquit. Sed aliud gravissimum ipse iampridem ob- a. 1219. sept.
tinuerat, ut Fridericus II promissa Innocentio quondam facta sollemniter denuo confirmaret;[112]) ac tunc iterum inter „iura, quae ad ecclesiam Romanam pertinere noscuntur,“ aperte nominantur Corsica et Sardinia, quas „ad retinendas et defendendas illi se adiutorem fore tanquam devotum filium et catholicum principem“ rex pollicetur. Qui tamen nihilo secius iam sequenti anno petentibus Pisanis Friderici avi, Henrici, a. 1220. nov. 24.

109) Raynald. ad a. 1218, § 31.
110) Id. a. 1223, § 20. 111) C. D. S. s. XIII, 44.
112) M. G. leg. II. p. 232—3.

Ottonis privilegia confirmans Corsicam denuo in feudum tradidit.[113])

Pontificatum deinde Honorii peragendasque res Sardoas ardens Gregorii IX animus subiit. Is iterum excommunicavit
a. 1229. Hubaldum ac, quicunque auxilium ei praestiterant.[114]) Ille enim ullum „pignus pro satisfactione apostolicae sedis legato dare" noluerat. Quibus ex verbis apparet Gregorium non tam expellere eum, quam imperio ecclesiae subiicere temptasse. Interim Pisani clam civem suum tuentur sibique sa-
a. 1236. cramento obstringunt, donec tandem VII annis post iudex cum papa conciliatur. Quod quidem hoc modo factum est: Regnum Turritanum mortuo Baresone fratre Adelasia Ma-
a. 1235. riani filia heres subierat, ad quod etiam Corsicana, Pisana, Massana bona ab avo Guilelmo marchione relicta accesserunt. Tanta dote excitatus confestim Hubaldus eam in matrimonium duxit, qua re septentrionalis insulae pars tota denuo iungebatur. Ipsa vero Adelasia eo connubio statim incidit in anathema. Simulque eandem sortem tulit Petrus iudex Arboreensis, qui Hubaldi exemplum secutus Caralim invaserat.[115]) At Hubaldus, qui, ut ipsam retineret Galluram, tamdiu contra censuras apostolicas pugnaverat, Turrim nuper partam invito papa servare multo difficilius fore intellexit; magisque etiam Adelasia et naturali mulieris imbecillitate et ingenerato Logudorensium obsequio erga ecclesiam Romanam commota est, ut pacem cum „matre et domina sua" facere cupe-
a. 1236. mart. 29. ret. Quae pax a. 1236 per Alexandrum capellanum et legatum sedis apostolicae hisce convenit conditionibus[116]): Rex et regina in sinum s. ecclesiae recepti totam terram Turritanam ad ius et proprietatem illius spectantem una cum externis Adelasiae allodiis „irrevocabiliter et in perpetuum"

[113]) Dal Borgo, p. 42.

[114]) C. D. S. s. XIII, 48. [115]) Raynald. ad a. 1237, § 16.

[116]) C. D. S. s. XIII, 57—60; ubi semper Tola Bononiensem quam vocant temporis notandi consuetudinem negligens III diem pro XXIX ms. mart. ponit; idem in sequentibus nonnullis diplomatis e Muratorio transsumptis peccatum.

sedi apostolicae tradunt, „pro quibus omnibus illi iuramentum praestant fidelitatis.“ Neque minus idem facere posteri iudices teneantur; exstincta vero stirpe regia ista omnia „sine diminutione aliqua ad Romanam ecclesiam revertantur.“ Praeterea Hubaldus et Adelasia „tactis sacrosanctis evangeliis iuraverunt sine fraude, dolo ac malo ingenio stare, parere et in omnibus obedire generaliter, praecise et sine conditione aliqua praeceptis domini papae.“ Diserte insuper expressum: „retinenda esse et defendenda contra omnem hominem regalia b. Petri et specialiter Sardiniam;“ [117]) iudicatum Logudorensem ceteraque Adelasiae bona „nemini supponenda neque aliquo modo diminuenda sine mandato et licentia summi pontificis.“ Solam Hubaldus tunc quidem excepit Galluram; de qua quoniam civitati Pisanae quondam fidelitatem iuraverat, tum demum, quum ab illo sacramento absolutus foret, „libentissime de hoc quoque iudicatu mandata papae et legati se facturum esse“ dixit.[118]) Quam quidem difficultatem sine ulla dubitatione legatus sustulit;[119]) itaque postero anno to- a. 1237.
tum Turritanum ac Gallurense negotium feliciter fuit per- mart. 29— mai. 29.
actum.[120]) Castrum praecipue Montis Acuti ad tuendam terram papa sibi tradi stipulatus censum IV libr. boni arg. Turri, II Gallurae imposuit.[121]) Praeterea firma pax atque societas per legatum composita est inter Hubaldum et Petrum a. 1237. apr. 29.
Arboreensem.[122]) Nam hic quoque eodem tempore anathe- apr. 22— mai. 12.

117) Eadem verba iam in sacramento a. 1215 a Caralitanis facto nobis occurrunt; v. Huil.-Bréh. rouleaux de Cluny. p. 351—52.

118) C. D. S. s. XIII, 60. 119) Raynald. 1237, § 19.

120) C. D. S. s. XIII, 63, 72—74, 70, 76.

121) Pro iudicatu Gallur. II libr. solutas esse constat ex Cenc. camer. lib. cens. ap. Mur. Ant. It. V, 895. Censum Turr. atque Arbor. a. 1237 ex diplomatis nostris in librum Cencii transscriptum esse per se patet, quoniam ipsa diplomata ex eodem libro Muratorius deprompsit. Censum Caral. a. 1224 institutum, qui alios notavit, omisit, diploma tamen a Benedicta datum servavit; Gallurae censum quidem notavit, diploma omisit, quod et ipsum a. 1237 exaratum fuisse verisimile est. — Quantum vero censum Innoc. III quondam iudicibus imposuerit, ignoratur. 122) C. D. S. s. XIII 64—65.

mate liberatus se suaque omnia s. sedi subiecit.[123]) Eadem ibi redeunt, quaecunqne de Turritanis narravimus: fidelitas, census, oboedientia, castrum, devolutio. Conspicuus videtur MC Byzant. census; maiore, quam ceteros iudicatus, Arboream in honore esse fortasse Petrus voluit; investituram accepit „vexillo, in quo erant duae claves cum una cruce.“ Ceternm ipse se non contracturum promisit „aliquam consanguineitatem vel affinitatem cum aliquo vel aliqua absqne mandato et licentia sedis apostolicae speciali.“ Quam rem iam a Benedicta Caralitana item promissam mirum in modum a solis Turritanis postulare legatus omiserat; sed, quoniam illi aliis sacramentis gravissime obstricti erant, ista intermissio nihil videbatur habere periculi.[124])

Hac igitur ratione tandem opus, cnius ansam dederat Benedictus, quod excogitaverat Gregorius, ceteri voluerant, inceperat Innocentins, exactum fuit ab Honorio et Gregorio. Caralim ille, hic reliquos Romae plane subiecerat iudicatus. Universa Sardinia absolutum b. Petri imperium agnoverat. Maiora quidem tributa ex locupletioribus redire solebant patrimoniis, potestatem nullo unquam loco tantam pontifices habuerant. Sed „celsae graviore casu decidunt turres“; iam enim proximo anno praecipitem res Sardoae conversionem expertae sunt.

Ac primum quidem omnia prospere ecclesiae cessere. Petrus Arboreensis liberis orbum se fore praevidens Grego-
a. 1238. rium statim heredem constituit[125]). A. 1238 feliciter vectigalia collecta; praeterea legatus oppida quaedam Caralitana sibi tradenda curavit[126]). Sed ineunte eodem anno Hubaldus diem obiit supremum. Vidua si deinde Adelasia mansisset, spe celerius Roma Turrim et Galluram confiscare potuisset. At Gregorius veritus, ne Galluram, quae tunc demum here-

[123]) Ib. 71, 69, 66—67, 75, 77.

[124]) A. 1235 Pisanae quoque ecclesiae gravamina denuo Gregorius reiecerat; v. C. D. S. s. XIII, 55. 56.

[125]) Raynald. 1237, § 23. [126]) Id. 1238, § 67.

ditate ad reginam Turrensem rediit, Vicecomites Pisani, Hubaldi gens, occuparent, statim ipse litteras ad illam dedit[127]), apr. 30.
hortatus, ut alterum „de suo consilio et mandato“ matrimonium contraheret cnm tali viro, „qui et nobilitati ipsius gratus et pontifici merito esset acceptus, ac terram et iura ipsius, prout expediret, in forti mann et extento brachio tueretur“. Quamobrem Guelphum e gente Porcaria papisticum hominem ei proposuit[128]), simulque abbatem quendam Turrensem „pena excommunicationis firmiter eam inhibere“ iussit, ne a. 1238. mai. 4.
cum aliquo contraheret absque ipsius licentia speciali“[129]). Non desunt, qui id iniuste papam postulasse putent: violatas esse sanctissimas animi rationes; religionem denuo reipublicae servire coactam[130]). Quod quidem concedendum erit; hoc enim vitinm dominationi ecclesiasticae per se innatum est; tamen, quae tum erat legitima Sardiniae conditio, suo iure pontifex utebatur, quamvis de matrimonio nihil aperte Adelasia promisisset. An non „stare, parere et in omnibus obedire generaliter, praecise et sine conditione praeceptis Gregorii“ illa debebat? Ipsa noune dato iureiurando „cuiquam regnum supponere aut ullo modo diminuere“ recusaverat „sine mandato et licentia summi pontificis“?

Tum vero Fridericus II iuratorum immemor Adelasiae persuasit, ut Entio filio suo naturali nuberet. Asperas leges vicit splendida spes[131]). Mense octobri Entius Cremonae a. 1238. oct.
miles factus „cum comitiva militum“ a patre in Sardiniam mandatur, ubi „domicellam“ Adelasiam uxorem duxit et penes „liberos“ Turritanos et Gallurenses „privilegia et con-

---

127) Huil.-Bréh.; hist. dipl. Frid. II t. V. p. 1221. Erratum „Agneti“ pro „Adelasiae“. Nomen Agneti matri Adelasiae, Guilelmi marchionis filiae, inditum fuerat; confuse Raynald. l. c.

128) Raynald. l. c.; cf. C. D. S. s. XIII, 53.

129) Huil.-Bréh. hist. dipl. V. p. 1222.

130) Schirrrmacher: Kaiser Friderich d. Zweite III. p. 48.

131) Fara, p. 228: „Emmanuele (?), Friderico et Principale Auriae suadentibus“.

stitutiones regni“ se servaturum iuravit[132]). Constat eum, ubi plurimum, IX menses in insula versatum esse[133]). Frustra Gregorius Entio neptem suam obtulerat; nam tale matrimonium imperator „indecens credidit et reputavit indignum“ [134]). Quae tunc arma contra periuros papae relicta erant, nisi anathema? Itaque prima Adelasia excommunicata est[135]). Friderici deinde devodendi inprimis causam fuisse Sardiniam, „quam occupaverat contra iuramentum, quo super hoc ecclesie tenebatur, temere veniendo“ [136]) inter omnes constat, etsi unum inter plurima illud crimen pontifex pronuntiabat. Entius vero postea demum, quum „sacri imperii totius Italiae legatus“ factus Marchiam Anconitanam „hostiliter esset ingressus“, anathematizatus est[137]).

usq. ad a. 1239 (iul.?)

a. 1239. mart. 20.

a. 1239. nov.

Sed Gregorius, ut summis ecclesiae censuris ita adversus illos uteretur, certe non tam ira religiosa adductus est, quam quia maximam cladem sibi ipse accepisse videbatur. Etenim Vicecomites Pisani pariter atque antea Hubaldus aut terrore aut persuasione fortasse ad agnoscendum principatum apostolicum impelli potuissent; Entio Turrim et Galluram administrante neque censum neque obsequium quin ne speciem quidem dominationis ecclesiam consecuturam esse apparuit. Sed multo etiam maiora sibi imminere pontifex intelligebat. Neque enim solum „rex Turris et Gallurae“ Entius esse voluit, sed idem ipse „dei et imperiali gratia regis Sardiniae“ titulo utebatur; qui quidem titulus saepissime in diplomatis nobis occurrit[138]). Qua re id confirmatur, quod paene per se

132) Ann. Plac. gib. M. G. XVIII. p. 480; Rich. Sangerm. ad a. 1238; Fara l. c. ex cod. msc. synod. in archiv. Ursell. eccl. recondito.

133) V. not. 4. praefationis nostrae.

134) Huil.-Bréh., hist. dipl. V. p. 305.

135) Raynald. 1243, § 24. 136) Huil.-Bréh. V. p. 287, 292.

137) Richard. Sangerm. ad a. 1239: „Mense novembris Gregorius“ cet.; Huil.-Bréh. V, 357; M. G. leg. II, 330.

138) Cf. Boehmer, reg. imp. 1198—1254.

„d. g. rex Sardiniae“ v. Boehm. reg. Ent. n. 3, 4, 8, 11, 12; reg. Frid. II (ib.) n. 1103, 1132, 1135, 1139.

patet, Fridericum perlato isto filii matrimonio id egisse, ut totam Sardiniam cum imperio coniungeret. Neque dubitandum, quin tunc Friderici avi exemplum ante oculos habuerit, qui eadem ratione in Baresonem unius iudicatus dominum omnia, quae imperio vindicabat, iura Sardoa contulerat. Sed quantopere differebant ab illa Baresonis coronatione Friderici II consilia atque ipsius Entii conditio! Turbare quidem Sardiniam potuit Fridericus I, neque vero, nisi inane summi imperii nomen pecuniamve haud ita magnam, quidquam utilitatis ex istis conatibus percepit. Ita autem futurum esse ipsi statim intelligere licebat; namque ipse copiarum expers navalium per Pisanos aut Genuenses rem gerere coactus est; quo factum est, ut hae civitates reapse omnem auferrent quaestum. At Fridericus II ingenerato imperii morbo mederi cupiens tanto cum studio ad maritimas res incubuit, ut per X fere annos mare inferum classibus suis tenens plurima damna Genuensibus inferret. Quibus opibus innisus, nonne fore videbatur, ut Entius et illis et Pisanis in Sardinia fortiter moderatus insulam diu laceratam tandem aliquando reficeret atque recrearet? Atque idem fortasse in Corsica ei contigisset, namque ad eam quoque manus porrigendi fundis Adelasiae hereditariis occasionem nactus est. Ea vidisse, ea petiisse acerrimum Friderici ingenium luce solis clarius est; nequaquam enim per ludum et iocum periurus fieri voluit; sed ubicunque b. Petro, hosti sempiterno, aliquid eripi posse intellexit, quo ipsa defendi atque augeri posset imperii potentia, ne extrema quidem audere verecundatus est.

At id unum tum non praevidit, fore, ut implacabili in po-

„rex Turr. et Gallur.“ v. Boehm. reg. Ent. n. 2.; reg. Frid. n. 976: C. D. S. s. XIII, 79.

„rex Sard. et Gall.“ v. Boehm. reg. Ent. n. 1.

Nec minus variam nominandi rationem in epistolis Friderici invenies;
e. gr.: „rex Sard.“ v. Huill.-Bréh. hist. dipl. VI, 685, 703.
„rex Turr. et Gall.“ ib. V, 305, 712.
„r. Sard. et. Gall.“ ib. VI, 717. cet.

sterum odio pontifex ipsum persequeretur; aliter eum dubiam victoriam Sardoam censeo dimittere maluisse. Etenim factum est, ut, postquam bellum ecclesiasticum denuo conflavit Sardinia, ipsa nihil nisi ecclesiasticum bellum a rege Entio acciperet; neque quidquam ab eo in insulis nostris actum memoriae proditur, nisi duos episcopos, alterum in Sardinia alterum in Corsica, iussu regis per vim e sedibus suis eiectos esse[139]. Ipse vero rex turbis Italicis maxime implicatus operosam procul a regno vitam degebat. Itaque non mirandum est, quod ad ultimum II quoque Friderici consilia Sardoa
a. 1241. auctumn. omni eventu caruere. Quin iam a. 1241 Ansaldus de Mari, qui classi imperii praeerat, quum „terram reginae Sardiniae munire" vellet, ab ipsis Sardis turpiter expulsus est[140]. Neque multo post populi exemplum secuta Adelasia mariti parte, quem inde a laetis diebus IV annos non viderat, de-
a. 1243. serta veniam a s. sede „supplicibus votis" petitam impetravit[141]. Tertium deinde post multos annos matrimonium contraxisse dicitur cum Michaële Zanche, Entii quondam vicario Logudorensi, famoso apud inferos secundum divum Aligerium fraudatore[142]. Nam transfugio Adelasiae nuptias cum Entio initas statim solvi oportebat. Itaque hic quoque alte-
a. 1249. feb. rum postea coniugium cum nepte quadam Ezzelini de Romano capessivit[143]. Haec vero, quando de ipsius Entii historia vernaculo sermone disseremus, uberius explicanda leviter hoc loco tangentes ad ea tantum animum advertemus, quae ad Sardiniam pertinent. Itaque notandum, etiam in carcere
a. 1272. mart. 14. Bononiensi illum usque ad extremum vitae diem[144]) „d. g.

139) De Sardiniensi v. C. D. S. s. XIII, 80; de Corsicano: Salimbene p. 144.

140) Bartholom. scrib. ann. M. G. XVIII. p. 201.

141) Raynald. 1243, § 24.

142) Benven. Imol. ad infern. XXII, 88 (Murat. Ant. It. I, 1090); *matrem* Entii Michaëli nupsisse perperam tradit Benvenutus; quanquam natu quidem Adelasia paene mater mariti esse poterat. Certum testimonium de Adelasia a. 1255 aug. superstite ac regnante ex regestis Alexandri IV affert Huil-Bréh. hist. dipl. VI, 703, not. 2.

143) Petr. de Vin. III, 82; Huil.-Bréh. VI, 703.

144) Memor. pot. Reg. ap. Murat. Sc. VIII, p. 1133.

regis Sardiniae" titulo usum[145]) in testamento paucis diebus ante nuncupato[146]) „Henricum et Ugolinum carissimos nepotes suos ex Excellenti filia sua Helena et viro Mag. Guelfo de Donnoratico genero suo natos et ceteros masculos nascituros ex ea, dum tamen in lucem pervenirent, sibi heredes aeqnalibus portionibus institnisse in regno suo Sardiniae et omnibus iuribus ad ipsum tam in dicto regno quam in castro Sassari spectantibus". Atque Helenam illam ab Adelasia partam esse et praedicatum „excellentis" ceteris filiabus spuriis negatum et ipsum demonstrat ius Sardorum, quo ad solam verae reginae stirpem regnum redire poterat[147]). Illam igitur Guelfus celeberrimi Ugolini comitis filins in matrimonium duxerat, qua re ista gens Pisana possessiones, quas diu petierat, Sardoas inre quoque quaesito tueri nitebatur. Itaque brevi post Entium mortuum comes Ugolinus a nepotibus suis pueris Henrico et Ugolino ac Iacobo interea nato tradita ab Entio iura Sardoa pecunia redemit[148]). Ac quanquam diu multa Donnoraticorum familia, Entio affinis, in Turritano maxime indicatu egit[149]), tamen haec ab imperio plane aliena ad privatam nobilium Pisanorum historiam spectantia silentio hic praetermittere statuimus.

mart. 6.

a. 1272. nov. 25.

145) Vana Bononiensium iactatio uno regno haud contenta „Sardiniae et Corsicae insularum regem" in aedibus S. Dominici tumulatum esse simulacro inscribi voluit. V. inscr. ap. Münch.: „König Enzio." Stuttg. 1841; p. 353–54.

146) C. D. S. s. XIII, 110. Legendum *mart. 6* (die *sexto* dominico intrantis Martii) cf. Savioli. Ann. Bol. 3 B, 448.

147) Parum igitur recte Huil.-Bréh. (introduction à l'hist. dipl. p. CCVII.)

148) C. D. S. s. XIII, 112. (VI *exeunte* nov.!).

149) Ib. 97, 103, 104, 107, 108, cet.

PERORATIO.

De lite diiudicata.

Nunc igitur de iure qnaerendum. Sed iam paene dubitamus, num possit quaeri de iure. Iam pridem Sardinia ecclesiastica Romanorum episcoporum provincia fuerat. Deinde quum magna gentium migratione fractus inlaberetur orbis Romanus, haud plaue illam destituere pontifices; immo re vera Gregorii I aetate, quum nihil nisi calamitates a Byzantinis iusula acciperet, magna tamen, ut ait Gregorius VII, „caritas inter ecclesiam Romanam atque illam genteui fuit“. Tantaque cura salutem eius a solo papa tum servatam esse vidimus, ut ipsum dominum aut certe rectorem eius fuisse diceres. Diuturna autem abalienatione intermissa posteaquam Benedictus ipsorum precibus commotus a diro Museti iugo Sardos liberari iussit, quis vitio illi vertat, quod ad suam fidelitatem nulli alii per saecula subiectos iudices vocarit? Quis vitio Gregorio, quod firmiorem istam necessitudinem reddere voluerit? Irruere nonne Fridericus I videbatur, qui, quae nunquam Caesaris fuerat, Caesari addiceret Sardiniam? Nefarie nonne irruere Fridericus II, quippe qui rupto sacramento, quam sollemniter concesserat, eandem nihilo secius recuperaret? Nequaquam mehercule fieri potuit, ut impune tantum scelus committi pontifices paterentnr. Quin etiam ne hanc quidem excusationem imperatores habebant, ut, quae reapse possiderent Pisani aut Genuenses, imperio sine dubio ipsi obnoxii, ea per se ad imperium spectare dicerent. Multa nonne ultra mare, in Graecia, in Hispania utraque civitas tenebat, quae nunquam aut confirmare aut auferre potuit imperator Romano-Germanus?

At ecce discrimen! Etenim Hispaniam, Graeciam, terram sanctam ad suos quamqne dominos pertinere ab imperio alie-

nam plerumque apparebat; sed tamen alia erat Sardiniae conditio. Adeo enim tanquam lege naturali universa Italia cum imperio aut iuncta aut iungenda esse illis temporibus putabatur, ut ipsi pontifices non prius iuste ac secure Apuliam aut Sardiniam possidere posse sibi viderentur, quam ab imperatoribus illas sibi donatas esse simulassent. Qua in re nihil intererat, utrum Constantinum Urbanus II, an Ludovicum ceteri donatorem evocarent; quoniam unum idemque esse utrumque imperium, nemo erat, quin pro explorato haberet. Non igitur possessione, non praescriptione, non historia sedes apostolica Sardiniam suam esse demonstrare studebat, sed ficta priorum largitate imperatorum. Quumque interea tot tantaque damna auctore saepenumero b. Petro illata esse imperio posteri viderent imperatores, cur non tandem ea tanquam „dispersa imperii revocarent“, quae esse dispersa imperii ipsa s. sedis fraus iis persuaserat?

Itaque non solam neque a reliqua historia seiunctam discernere poteris litem Sardoam, sed arctissima ipsa innexa est maximae illi contentioni inter imperium atque ecclesiam exortae, qua saeculum, qua orbis concutiebatur; et quantum in ista causa contra strictas iuris regulas Friderici peccaverunt, sexcentis pontificum delictis affatim aequari notissimum est. Neve, quod peregrinam illi terram alienigenae sub potestatem suam redigere voluerint, tanquam perperam aut praeter naturam factum reprehendas. Quid enim illa aetate nationes? Oportebat crescere imperium neque id, nisi extremis Christianorum finibus, iure ullis terminis coërceri videbatur. Atque etsi avus Fridericus de inani tantum imperii Sardoi titulo certabat, nepotem certe, qui, quaecunque gessit, in solidioribus magisque idoneis posuit fundamentis, ita rem aggressum esse scimus, ut et universum imperium et insula ipsa haud spernendam ex eiusmodi coniunctione percipere potuissent utilitatem, nisi fata noluissent. Verumtamen noluerunt, eademque ratione res Sardoae postea processere, ac res Siculae reliquaeve sors Italiae, quum primum

corruit potentia Staufensium. Haec igitur extrema perpaucis
adumbrantes commentationi nostrae finem faciemus.

Cum Friderico postea nihil de Sardinia pontifices egere
quippe qui conatum eius ad irritum redactum esse cernerent.
Neque tamen memoriam iniuriae tum ab illo sibi illatae de-
a. 1245. ponere potuerunt; atque etiam in concilio Lugdunensi, quan-
quam iam duobus annis ante Adelasia in sinum ecclesiae
Romanae redierat, Sardoam quoque litem, ut periurii facti
Fridericus convinceretur, Innocentius IV adhibuit.[1]) Neque
vero minus imperator iure suo cedere noluit; ac quodsi
a. 1250. in testamento suo neque insulae neque ipsius Entii ullam
fecit mentionem, id ea de causa factum esse censemus, quia
filio, quem certe sempiternis vinculis traditum iri non credi-
dit, regnum iam concessum denuo donare supervacaneum
duxit. Minime vero insulae ideo renuntiasse putandus est.
Etsi enim statuit, „ut sacrosancte Romane ecclesie omnia
iura restituerentur,“ tamen hasce conditiones addidit gra-
vissimas: „salvis in omnibus et per omnia iure et honore
imperii, heredum nostrorum et aliorum fidelium;“ deinde:
„si ipsa ecclesia restitueret iura imperii.“[2]) Sardiniae autem
dominium ad ius et honorem imperii suorumque spectare
persuasum habebat; praeterea ecclesiam nullum unquam im-
perii ius restituturam esse per se apparuit. Itaque extrema
quoque Stauforum progenies Sardiniam ad imperium trahere
non desiit; e quibus, quoniam de Entio iam egimus, de Con-
rado autem, quod proferamus, non habemus, Manfredum et
Conradinum memorare volumus; quorum ille Aurias, Gibel-
linam Genuensium familiam, in expugnanda Turri auxiliis
a. 1262. missis iuvare constituit,[3]) hic Pisanos in Sardinia versantes
a. 1269. maximis tuitus est privilegiis.[4])

1) Inter alia plurima diplomata, quibus et iura s. sedis et periuria imperatoris patribus demonstrare cupiebat, sacramentum quoque a Baresone et Benedicta Innocentio III a. 1215 iuratum exempli gratia papa a. 1245 a. d. III id. iul. transscribi iussit. V. Huil.-Bréh.: rouleaux de Cluny: not. et extr. d. msc. t. XXI, 2; 1865; p. 303, 351.

2) M. G. leg. II, p. 359. 3) C. D. S. s. XIII, 102. 4) ib. 119.

At longe aliter res sese habuit, quum primum Rudolfus regnum Germanorum suscepit. Tunc enim et generalem a. 1274.
iurium suorum confirmationem a principibus Germaniae, et sollemnem Sardiniae et Corsicae cessionem ab ipso rege apostolica sedes accepit;[5]) qua re quasi signo impressam a. 1279.
diceres s. Petri victoriam. Nihilo tamen minus, ne exactas magnas tragoedias Satyrica fabula deficiat, ne posterorum quidem imperatorum acta quaedam Sardoa praeterire debemus. Sic iudicem quendam Genuensem ab Henrico VII po- a. 1313.
testariam Sassarensem petiisse invenimus.[6]) Nec minus eodem tempore scriptus in tabellario eiusdem imperatoris index servabatur accuratus „reditus et expensarum" civitatis Pisanae, ex quo grandem etiamtum pecuniam e Calaritano maxime et Gallurensi regno videmus rediisse; qua certe tabula ad destinanda munera Pisana Henricus uti volebat.[7]) Ita tum saltem circuitione quadam Sardiniam commodis imperii servisse apparet. Ludovicum deinde Bavarum Iacominae Iohannis iudicis viduae „feuda Arboreensia aperta atque ad a. 1329.
ipsum et ad Romanum imperium devoluta" rursus in posterum possidenda tradidisse constat.[8]) Denique Carolus IV a. 1355.
firmatis veterum imperatorum concessionibus Pisanis Corsicam provinciasque Sardiniae, quam „potenti brachio et infatigabili gladio olim infidelibus eripuissent," benigne denuo donavit.[9]) Quibus ex verbis tum apud inversos Pisanos heroicae aetatis traditiones atque inprimis fabulas Museticas maxime floruisse intelligis. Iam igitur apparet, in omnibus expeditionibus Romanis Sardoas quoque res a posteris im-

5) M. G. leg. II, p. 396, 405, 422.

6) Acta Henrici VII ed. Doenniges. tom. I, p. 94. n. 131: Rolans de castellion juges abbes de genes demande la poestarie de sassari pour un ant feni le tempus de celui, qui la tieut orendroioit.

7) Id. tom. II, p. 95; cf. tom. I, p. 71, XIX, 73.: „lordenence des gabeles de pise."

8) C. D. S. s. XIV, 42; Boehmer. reg. Lud. Bav. n. 2709.

9) Dal Borgo, raccolta p. 46. — Verum tempus confusis ceteris „annus imperii I" indicat.

peratoribus tactas esse. Illas vero nihil nisi fluxas fragilesque veterum consiliorum imitationes fuisse notissimum est. Quin etiam contra s. sedem in Sardinia ea suscepta esse vix dici possunt.

Etenim pontifices Romani iamdudum apostolicum insularum nostrarum principatum vendiderant. Nam quum Gregorii IX opera singulae quaeqne Sardiniae provinciae b. Petro subiectae essent, tum etiam totius insulae regnum, usitatum inde ab Entii aetate nomen, a papa impetrari posse exteri principes arbitrabantur. Ac primum quidem contigit Clementi IV, ut Carolum Siciliae regem, Henricum principem
a. 1267. Castellae, Iacobum I Aragonensem petitores repelleret con-
a. 1230 currentes.[10]) Attamen reges Aragonenses, qui haud ita multo
et. 1235. ante Baleares expugnaverant[11]), Museti quondam Balearici vestigia secuti ad Sardiniam quoque manus porrigere non cessabant. Amicitias igitur callide cum iudicibus contrahere studebant,[12]) donec tandem pontificante Bonifacio VIII propositum consecuti sunt. Is enim Iacobo II pro concessa Sicilia gratiam relaturus „regnum Sardiniae et Corsicae in
a. 1297. perpetuum feudum Aragonensibus gratiose contulit"[13]) annuo MM marc. arg. censu constituto. Ac quanquam de devolvenda donatione nonnulla erant reservata, totoque demum saeculo elapso Sardinia, Corsica nunquam sub potestatem Hispanorum redacta est, tamen commemoratis his rebus acquiescere volumus, quoniam, qnibuscunque exinde in posterum contentionibus materiam praebuit utraque insula, certe, quae inter pontifices Romanos atque imperatores de summo earum imperio acta erat, lis tum omnino sedata fuit.

[10]) C. D. S. s. XIII, 106, 107.
[11]) Raynald. 1230, § 36—38; 1235, § 35.
[12]) C. D. S. s. XIII, 116, 119.
[13]) Ib. 137—39, s. XIV. 1, 2, 3, cet.

446,695

ARGUMENTUM.

Digitized by Google

BEROLINI, TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google